APOLOGIA
PRO
DISCVRSV THEOLOGICO
DE IMMACVLATA CONCEPTIONE
B. MARIÆ VIRGINIS.

AVGVSTINI DE ANGELIS
Congregationis Somaschæ.

Ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. Dñum.

D. FERDINANDVM
ALARCON, DIAZ, DE MENDOZA.

VI. Marchionem Vallis Sicilianæ, Rendarum, & Moncilionis, Comitem Pallareæ, Gambateſiæ, & Rendæ, Dominum Baroniæ Fluminis Frigidi, Longobardorum, & Falconariæ, Sanctifelicis, Caroleorum, Monticini. Dominum Tuxitiæ, & eius Caſalium, Inſulæ, & eius Caſalium, Petrecamelæ, Caſtellorum Calledonici, Chiarini, Leognani, Aquilani, Coſciani, Cerqueti, Faniadrini, Intermeſuli, Furcæ, Cerchiaræ, Sancti Nicolai, Capzani, Collalti, Aquauiuæ, Sancti Laurentij, Marani, & Spinæ, Equitum Turmæ Ducem in Regno Neapolitano, & Dominum Domorum Alarconis, & Mendozæ, &c.

Ingolſtadii, Per Bernardinum Noguès. Anno Dñi 1660.
Superiorum Permiſſu.

Illustriss. & Excellentiss. Dño.

D. FERDINANDO

ALARCON, DIAZ,

DE MENDOZA.

VI. Marchioni Vallis Sicilianæ, Rēdarũ, & Moncilionis, Comiti Pallareæ, Gambatesiæ, & Rendæ; Domino Baroniæ Fluminis Frigidi, Longobardorum, & Falconariæ, Sāctifelicis, Caroleorum, Mōticini, & Domanici. Domino Tuxitiæ, & eius Casalium, Insulæ, & eius Casalium, Petrecamelæ, Castellorum Calledonici, Chiarini, Leognani, Aquilani, Cosciani, Cerqueti, Faniadriani, Intermesuli, Furcæ, Cerchiaræ, S. Nicolai, Capzani, Collalti, Aqueuiuæ, Sancti Laurentij, Marani, & Spinæ, Equitũ Turmæ Duci in Regno Neap., & Dño Domorum Alarconis, & Mēdozæ, &c.

AVGVSTINVS DE ANGELIS F.

PRO-

PRODITVRÆ in lucem Apologiæ pro Discursu meo Theologico de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis, dandus omninò erat Patronus aliquis, & Defensor, enim verò de Re agimus, de qua non sinè maxima Inuidia partis aduersæ possumus piè sentire, & loqui, & scribere; Vix enim ad Immaculatum Conceptum Augustissimæ Dei Matris Sãctorum Patrum præclarissimis Sententijs communiendũ, Discursum meum Theologicum edideram, quando non defuit ex Aduersarijs, qui illum vix natum pręfocare contenderet, tentaret. At cùm multi mihi occurrissent, qui possent Apologiam meam validissimè defendere, ac tueri, Tu mihi omnium aptissimus, & validissimus visus es, Excellentissime Domine, Marchionum Optime. Noui enim Te nihil in corde, & in Votis habere magis, nil in ore, & familiaribus colloquijs frequẽtiùs quam singularem Innocentiam Dominæ no-

nostræ à generali labis ruina præseruatæ. Noui Te in Toto hoc Regno Neapolitano, grassante lue teterrima, Votum, ac Iuramentum solemne pro Immaculata vsq; ad sanguinis effusionem propugnanda, emisisse; Noui Auitam esse, & Hæreditariam præclarissimæ, ac planè Regiæ Domus Alarcon, & Mendoza ergà hoc Mysterium studium, propensionem. Noui in Gentilitio Tuo Stemmate sacra illa verba circumduci. AVE MARIA GRATIA PLENA. Quibus hoc Mysterium non obscurè significari, pro comperto est. Noui à Te Sanctissimam Dei Genitricem Mariam sinè macula Conceptam in peculiarem Dominam, ac Patronam sic constitutam, vt non modo Te ipsum, sed & Lectissimam Coniugem, liberos, subditos, Dominium omne commendaueris, donaueris. Noui Te Festum Immaculatæ Conceptionis quotannis celebrandum spopondisse. Noui Tibi nullum iucũdum

ſermonem, qui huic non conſentiat Veritati; Noui denique Litem Te indicere illi, imò iuratum certamen, qui Virginem non confitebitur Immaculatam. Plura dicerem, niſi Tibi moleſtum eſſet audire, mihi verò difficile pari oratione Pietatem tuam maximam explanare. Excipe igitur Apologiam meam, tuere, defende, Tuo enim Patrocinio non dubito, quin tutiſſimè incurſus quoslibet Aduerſariorum valeat ſuſtinere. Vale.

APO-

APOLOGIA

Pro Discursu Theologico de Immaculata B. MARIÆ Virginis Conceptione.

PRodierat vix in lucem Discursus meus Theologicus pro Immaculata Conceptione B. M. Virginis, vix ad manus peruenerat Eruditorum, quando in sacra Theologia Magister non ignobilis, & in Controuersia de Immaculata apprimè versatus Frater Thomas Consolius Ordinis Dominicani, motus, vt opinor, zelo nimio defendendæ affirmatiuæ Peccati originalis in B. Virgine, cæpit plura aduersus recentem Discursum opponere, quædam mordere, loca SS. PP. deflorata, deprauata criminari; mutilata, ficta esse, obstrepere, in Vulgus spargere; nec non ad vlteriora progressus petijt à Matthęo Rentio S. Officij in Curia Archiepiscopali Neapolitana Consultore editi Discursus abolitionem. Cogitaueram, irrogatam iniuriam alto silentio præterire, vt me tacente ipsa facundiùs veritas loqueretur; sed cùm mihi venisset in mentem celebre illud Augustini lib. de Bono Viduitatis c. 22. *Crudelis est, qui famam suam negligit*. Tùm sedulò perpendens non tàm hìc meam, quàm Beatissimæ Virginis causam agi, intellexi omninò meas esse partes, ad singula obiecta, quæ mihi exhiberi in scriptis ab Aduersario postulaueram, consueta breuitate, quantum ex alto dabitur, respondere.

Ità ergo in primis loco Præludij opponit Aduersarius. *In libello, cuius Titulus de origine Sanctæ Mariæ de Auxilijs Purissimè, & Immaculatè Conceptæ. Neapoli impressa Anno 1639. salua pace, sunt plura dicta SS. PP. deprauata, alia*

ficta,

ficta, alia mutilata, quæ antecedentibus, vel consequentibus adiuncta verbis SS. Immunitatem ab actuali peccato B. V. vel eius Virginitatem, aut eiusdem actiuam Conceptionem arguunt euidenter; Proinde vt deflorata per non bonam consequentiam, salua pace, ad Conceptionem passiuam ab originali immunem, extorquentur, vt apparet ex dictis SS. sincerè relatis.

Respondeo. In Crimen, seù malis, Culpam, quam iteratis vicibus Auctori Discursus opponit, vel ipso in limine oppugnationis impingit Aduersarius: opponit dicta SS. PP. esse à me deprauata, alia ficta, mutilata alia; deprauat ipse, seù mutilat, seù affingit Discursui Theologico titulum Libelli, cùm à me non Libellus, sed Discursus Theologicus inscribatur; aliud est Libellus, aliud est Discursus; neq; enim hoc loco instituti mei est, allegationes tantummodò, & sententias SS. PP. nudè referre, sed ex eorum verbis non deprauatis, fictis, aut non mutilatis sanctitatem Immaculatæ Conceptionis Dominæ nostræ, vt ex fodinis aurum, per bonas, & veras consequentias, eruere.

Qua in re licèt ad SS. mentem, & intentionem, vt par erat, attentè respexerim, attamen dato, & non concesso, quod non ad eorum mentem, & intentionem verba aptauerim, sed potius per bonas consequentias probabiliter, & rationabiliter discurrendo, ad pium sensum accommodauerim; morem hunc, & vsum, siuè bonum, siuè malum, vt verum fatear, à Doctoribus sacri Ordinis Dominicani Magistris, & Præceptoribus meis accepi, & didici; videlicèt, ab Ambrosio Catharino; à Caietano, ab ipso deniq; Sancto Doctore. Audi Ambrosium Catharinum in disp. de Immacul. p. 1. fol. 84. vbi loquens de sensu, & intelligentia SS. PP. ait: *Facit illos* (idest Deus) *non rarò ex spiritu loqui vera, etiam si forsitan non considerent, quapropter non tàm quid senserint Sancti Doctores, explorandum est, quàm quid dixerint, est ponderandum; ob eam causam Caietanus cùm exposuisset verba S. Thomæ in 3. q. 28. art. 1. contrà eius mentem, agnoscens, & prudenter excusans factum, dixit. At si quis contendit, expositiones*

tiones has posse conuenire literæ, & non intentioni Auctoris, qui videtur ex proposito docere oppositum, meminerit primò me ab Auctore didicisse post Augustinum talem exhibere aliorum Lectorem, qualem meorum exopto, in vltimo siquidem præcedentis quæstionis articulo Auctor verba Innocentij in c. Marthæ ad verum sensum trahit, non curans de intentione opinantis &c. Idem dixit de auctoritate Papæ, & Concilij, dum exponeret Decreta quædam Constantiensis, & Basiliensis nil curans de intentione loquentium. Hoc egregij Doctores sæpè numero, nec irrationabiliter obseruarunt Auctorum verba potius ad veritatem aptantes, quàm ad eorum mentem.

Similiter, & SS.*PP.* dicta deflorare, deprauare, mutilare, & fingere, morem esse antiquissimorum Thomistarum, fatetur Catharinus testis domesticus, ideòq; irrefragabilis, & qui nulla exceptione potest reijci. Audi ipsum loquentem lib.1.de Cõcept. in expũgnat.vlt.art.de Reuelat.S.Catherinæ Senensis, quam ideò dicit, confictam esse à suis modernioribus Thomistis, *quia miraculum esset, quod illi;* idest Thomistæ antiquiores, de quibus ibi est sermo, *rem hanc prætermissent ad fulciendam opinionem suam, qui,& quæ sunt, & quæ non sunt, vndiq; excauarunt, & collegerunt ad hoc ipsum.* Et in disp.pro Immacul.ad Synodum Tridentinam p.1 fol.64. *hic addam in citandis Auctorum sententijs,eos sæpè numero non fideliter citare, tanta est affectio, & cupido victoriæ, non veritatis; quod & latiùs in opusc.nostris tradidi, hic vno, aut altero contentus ero exemplo.* Affertq; exemplum deflorati Ambrosij, & Roberti Olcoth. Vide quid dicat Pater Hyppolitus Marraccius in Libello, Fides Caietana. Quid dicat Episcop.Plasentinus in suo propug.pag. 408 n.32. de Hyacinto Arpalego in supplici libello oblato Innocentio X. Quid dicant de Vincentio Bandello Armamentarium Seraphicum,& Petrus Posſinus in sua Vincentia victa impressa Tolosæ An.Domini 1649. Deniq; Catharinus integrum librum de Verit.Conceptionis in 13.partes distributum à Bartholomæo de Spina infarcinatum, falsò

attributum esse Cardinali de Turrecremata asserit, in disp. pro Immacul. ad Synodum Tridentinam p. 1. fol. 134. & sanè verba præmissa in præfatione eius libri id non obscurè conuincunt. Sed iam ad obiecta capitalia veniamus.

Primo igitur opponitur: S. Antonius de Padua serm. feriæ 5. Dominicæ Passionis ait: Aduertendum, quod hoc dictum Saluatoris solum tenet de illis, qui ab huiusmodi debito fuerunt præseruati sicut illi, qui fuerunt sanctificati in vtero, de quorum numero est B. V. ergo B. V. fuit præseruata, & sanctificata in vtero, ergo seruata à peccato originali, quod nomine debiti venit hic. *Aperta quidē deprauatio, quia Sāctus dicit; aduertendū, quod hoc dictū solū tenet de illis, qui debitores fuerunt, nō de illis, qui fuerūt ab huiusmodi debito præseruati; explicat Antonius verba Christi Domini; duo debitores, id est, duo viuentes sensualiter. Consequentia autem libelli, si bona est, euincit, quod etiam Ioannes Baptista, & Ieremias, fuerunt præseruati à peccato originali, quippè qui sanctificati in vtero, de quorum numero fuit B. V. quod omninò est falsum.*

Respondeo. Ab Aduersario non sincerè, sed deprauatè referri verba Discursus, in quo dicitur sic. Trigesima sexta est Sancti Antonij de Padua, serm. fer. 5. Dominicæ Passionis, ad illa verba Euangelij; *cui autem minus dimittitur, minus diligit*; quæ verba postrema quia sunt omissa ab Aduersario, ideò redditur obscurus sensus verborum consequentium; Aduertendum, quod hoc dictum Saluatoris, non enim intelligitur, quodnam fuerit dictum Saluatoris, de quo ibi loquitur S. Antonius, qui siue tale dictum intelligatur de dubbus debitoribus, & nō præseruatis à debito, vt Aduersarius optat, siue intelligatur de præseruatis, nil officit argumento Discursus, nam eius argumenti tota vis est in eo, quod à Sancto Antonio dicitur *B. V. præseruata à debito*, quod in Discursu accipitur pro peccato originali iuxtà phrasim Ecclesiæ in hymno, exultet; sed siue illud dictū Saluatoris S. Antonius intelligatur de debitoribus, & non de præseruatis à debito, siue intelligatur de præseruatis

à debito, semper verum est dicere; S. Antonium posuisse B. V. præseruatam à debito, ideòq; in editione Parisiensi anno 1641. in margine habetur: *B.V. est præseruata à debito;* in quibus sane verbis tota vis argumenti consistit; & ideò nulla est deprauatio in verbis S. Antonij, quantum facit ad vim argumenti.

Nec obstat, quod S. Antonius per debitores intelligat, duos viuentes sensualiter, nulla enim ratio assignari potest, cur viuentes sensualiter dicantur debitores, nisi quia cum habeant originale peccatum, debent, idest, ægrè possunt, & non nisi cum summa difficultate vitare actualia, in quo est fundata regula S. Augustini lib. 5. con. Iulianum c. 9. quod qui adultus habet, vel non habet actualia, habuit, vel non habuit originale infantilis ætatis exortu.

Deniq; quod ex consequentia Discursus, si bona sit, arguatur, Ioannem quoq; Baptistam, & Ieremiam esse præseruatos ab originali, si hoc intelligatur proprio, & speciali modo vtriq; conuenienti; non inficior, id enim non præiudicat singulari præseruationi B.V. ab originali, nam etiam in actibus Apostolorum, Apostoli dicuntur pleni Spiritu Sancto, Sanctus Stephanus dicitur plenus gratia, & tamen id non præiudicat singulari Priuilegio B. Virginis, quo dicitur fuisse plena gratia, plena Spiritu Sancto, quia illi dissimiliter à Maria. vt notat S. Bern. serm. 3 super missus est, & sanè tritum est in schola, quod quando verba communia pluribus applicantur, intelligenda sunt, & aptanda iuxtà capacitatem subiecti, & iuxtà proprij subiecti sanctitatem, vt eruditè notat in suo Propug. Episcop. Plasent. fol. 79. nu. 101.

Secundo opponitur: Sanctus Vincentius Ferrerius serm. 2. de Natiuit. *Vbi non dicit statim, ac anima fuit creata, fuit sanctificata, sed potius postquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit sanctificata, vnde Vasq. 3. p. q. 27. art. 2. disput. 117. c. 9. num. 100. dicit, ex hoc loco potius oppositum colligi.*

Respon-

Respondeo: Ea verba S. Vincentij, vt à me adducta, referuntur à Suarez 3.p.to.2.disp.2 sect.5. fol.26. ab Episcopo Acernensi in suo tract. cap. 30. n. 12. ab Episcopo Plasentino in suo propugn. fol. 154. n. 200. ideò à me deprauata non sunt: sed neque ab Auctoribus citatis, sic enim ea verba deprauare, non erat necesse, ad probandum S. Vincentium stetisse pro negatiua, quicquid in contrarium sentiat Vasq.loco cit.quod sic ostendo. *To post*, posterioritatem naturæ significat, non temporis, nam S.Vincentius, vti erat Theologus, & vir suo tempore doctissimus, locutus est phrasi scholastica, non rudi, & vulgari; quia ergo gratia sanctificans comparatur ad animam tanquam forma ad subiectum, & omnis forma est posterior subiecto posterioritate naturæ, ideò benè Sanctus dicit, postquam anima fuit creata, fuit sanctificata, nam licèt in eodem instanti reali, quo anima B.V. fuit creata, fuerit sanctificata, tamen in priori signo intelligitur creata, in posteriori sanctificata, sicut de Angelis dicitur, quòd fuerint creati in gratia, & tamen in illis oportet intelligere, priùs fuisse creatos, postea sanctificatos; hinc S.Vincent.serm.1.de Natiuit.ait: quando Corpus B. V. fuit perfectè organizatum, & illi anima coniuncta per creationem, tunc Altissimus sanctificauit Tabernaculum suum: quibus verbis coexistentia creationis, & sanctificationis animæ B.V. apertè denotatur.

Replicabis: *Auctor libelli, quæ refert ex S. Vincent. serm. 1. de* Natiuit. *salua pace sunt deprauata, addendo ly tunc, quod Vincentius non dicit; sunt præterea deflorata; proindè perperam intellectus, quia dicit sic.* Quando eius Corpus fuit formatum, & anima creata, & infusa non expectauit Deus nouem mensis, nec vnum, nec hebdomadam vnam, imò creditur, quod eadem die, & hora fuit sanctificata super omnes sanctos, & sanctas, & etiam Angelos: Auctor de hoc Dauid Psalm.45. fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus. adiuuabit eam Deus manè diluculo; *Hæc ille, qui non dicit in eodem instan-*

instanti, sed in eadem hora: verum est tamen, quod ea quæ refert Auctor Discursus Theologici, sunt S. Vinc. serm. de Concep. V. M. sed mutilata, proinde salua pace, non bonus Discursus de mente Vincentij, qui dicit sic: Quandò Corpus gloriosæ V. fuit organizatum, & lineatum, & anima coniuncta corpori per creationem, tunc *A*ltissimus sanctificauit Tabernaculum suum: scitis qualiter, sicut constructa Ecclesia, & non ante intrat Episcopus ad consecrandum. Ità de V.M. postquam corpus fuit organizatum, & anima infusa, venit Episcopus, scilicet Spiritus Sanctus, qui eam sanctificauit, postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud Exod. vlt. *Inanis ergo est glosa, quod ly postquam dicat posterioritatem naturæ non temporis, quod ly quando, & tunc importent coexistentiam creationis,* & *sanctificationis animæ B. V. quid clarius Vincentio seipsum explicante exemplo Episcopi? Agitur de instanti reali, coq; indiuisibili à parte rei, & bonus Pater secat illud in plura instantia naturæ, quasi ly postquam, dicat solum posterioritatem naturæ; Nec aduertit, quod ita incidit in sententiam Henrici de Gandauo ponentis in instanti naturæ Originale in Virg. & in sequenti instanti naturæ sanctificationem de illo, & consequenter velit nolit in instanti reali à parte rei in B. V. culpam, & gratiam. Si dicta Vincentij sincere afferret Auctor libelli, non opus esset glossis, eisque exortis, & alienis.*

Respondeo; quod in hoc argumento ipse se interimit *A*duersarius: fatetur enim, quod S. Vinc. non quidem in serm. 1. de Natiuit. sed in serm. de Conceptione dicat, quādo anima coniuncta fuit corpori per creationem, tunc Altissimus sanctificauit Tabernaculum suum, postea dicit, quod S. Vinc. serm. 2 de Natiuit. & serm. 1. dicat, postquam Corpus fuit creatum, & anima illi coniuncta, tunc fuit sanctificata, affertque exemplum Episcopi cōsecrantis Ecclesiam post eius ædificationem. Vtrumque ergo Sāctus dixit; quando fuit creata, tunc fuit sanctificata, & postquam anima B.V. fuit creata, fuit sanctificata. Quæro, quando, &

tunc ex vna parte, & postquam ex altera; suntne synonima, an diuersa: si diuersa; ergo faciunt diuersum sensum; dum ergo Sanctus dicit, quando anima fuit creata, tunc fuit sanctificata, importat in eodem instanti reali fuisse creatam, & sanctificatam: & dum dicit, postquam fuit creata, fuit sanctificata, importat posterioritatem naturæ, non enim potest importare posterioritatem temporis, alias sanctus sibi contradiceret. Quòd si dicas, quando cum tunc, & postquam, esse synonima, vt sunt ensis, & gladius; si Donatus consentit, ego non contradico. Vide ex his, me non ad extortas, sed ad obuias; non ad alienas, sed proprias, & apud scholasticos frequentissimas glossas recurrisse; vt apparentem contradictionem in S. Vincentio exoluerem; Deniq; frustra iactas, me incidere in sententiam Henrici, dum instans reale seco in duo instantia naturæ, nam in sententiam Henrici non incidunt Theologi communiter diuidentes instans reale, in quo dicunt Angelos in gratia creatos, in duo instantia naturæ; Vnum, in quo intelligunt creatos; alterum, in quo intelligunt illis esse infusam gratiam.

Tertiò opponitur Albertus Magnus in Biblia Mariana non dicit loquens de B.V. *Ipsa est stella veri solis sine corruptione regenerata, & hoc exprimitur suæ Conceptionis proprietas, sed potius ipsa est stella veri solis sine corruptione, vel diminutione integritatis generatiua, & in hoc exprimitur suæ Conceptionis puritas.*

Respondeo. Verba B. Alberti vti sunt relata, inuenies in Bibliotheca virginali edita à Magistro Petro de Alua Sanctæ, & supremæ Inquisitionis in Regnis Hyspaniarum Qualificatore: & nisi afferatur Textus Alberti editus antè ortam Controuer. de Immac. lectioni, quam affert Aduersarius, non fidam; sed ea data, efficacius instruitur argumentum pro Immaculata. Si enim B. V. est stella veri solis sine corruptione, vel diminutione integritatis generatiua, ergo B. V. fuit concepta in iustitia, & innocentia originali; tenet consequentia, quia generare, & multo magis esse gene-

beratiuam sine corruptione, vel diminutione integritatis, idest virginitatis, est effectus iustitiæ, & innocentiæ originalis, vt docet S. Th. 1. p. q. 98. art. 2 ad 4. ex S. *Augustino* 14. de Ciuit. Dei.

Quarto opponitur S. Ioannes Damascenus orat. 1. de Natiu. B. V. In fabricanda Virgine gratia naturam præuenit: *hæc sunt ficta, quia non sunt in Damasceno.*

Respondeo. Ea verba æquiualenter, & secundum sensum ibi apud Damascenum inueniri, & ideo ea verba non sunt ficta; alias ficta quoque dicenda essent verba S. Matthæi Euangelistæ, vbi ait; *sicut dictum est per Prophetas quoniam Nazaræus vocabitur*, quia ait Hieron. lib. 1. com. in c. 2. Math. si fixum de scriptura posuisset exemplum, non dixisset secundum Prophetas, sed secundum Prophetam, nunc autem pluraliter Prophetas vocans, ostendit, se non verba de scripturis sumpsisse, sed sensum: similiter fictum quid esset reperire in S. Thoma 1. p. qu. 36. art. 2. asserente, ex scripturis haberi Spiritum Sanctum à filio procedere, quia talis processio, vt ipse ait ibi, *non habetur secundum verba, sed secundum sensum*: Deniq; fictionem aliquam esset reperire in Concilijs Nicæno, Ephesino, Tridentino definientibus aliquot articulos fidei ex scripturis, in quibus non est reperire illos articulos secundum verba, sed secundum sensum, vt initio Discursus adnotaui: Concludo cum D. Hierony mo super Epistola ad Galatas. *Non est putandum Euangelium, esse in verbis scripturarum, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla*: Modo audi verba æquiualentia Damasceni. loc. cit. *Natura gratiæ cedit, & tremula stat, progredi non sustinens: Quoniam itaque futurum erat, vt Dei Genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est, sed tantisper expectauit, donec gratia fructum suum produxisset*: An hæc verba æquiualeant, & eadem sint secundum sensum cum illis: in fabricanda Virgine gratia naturam præuenit, iudicent viri docti.

Quinto opponitur: Sanctus Isidorus Archiepiscopus

Hispalensis in Missa de Natiuit. ait. Qui matrem seruauit à corruptelæ contagio. . sinum cordis vestri emundet à delicto. *Hæc quoq; in S. Isidoro non inueniuntur.*

Respondeo: Fateor, hæc verba non inueniri in tomo operum S. Isidori, qui circumfertur; sed ea verba in Missa ab eo Archiepiscopo ordinata, seù reformata, vbi ea citaui, & Aduersarius neglexit aduertere; omnino reperiri, refert Episcopus Acernensis in suo tract. pro Immac. c.20.n. 5. & probat ex eo, quia Seuerinus Binius in notis ad 2. Concil. Tolet. refert Isidoro fuisse demandatum à Patribus illius Conc. vt Missale, & Breuiarium reformaret, & ad vnitatem reduceret in illo officio Gothico, siue vt modo dicitur, Mozarabe; idque præstitum esse ab Isidoro refert idē Auctor c.9.n.8. & Marc. Maximus anno Domini 612. Hoc officium fuisse approbatum à Ioanne PP. X anno Dom. 918. refert Baronius, & Mariana lib.7. cap. vlt. Ambr. Morales lib. 12. cap. 47. fuisse approbatum ab Alexandro PP. II. anno Domini 1064. referunt Baronius, & Mariana lib. 9. cap. 5. Morales lib. 12. cap. 19. Si Aduersarius vidisset, la Diffesa Dominicana del Doctor Marco Antonio Palao, Decani Oriolensis, non tam audacter pronunciasset, ea verba in S. Isidoro Archiepiscopo Hispalensi non inueniri.

Sexto opponitur: S. Ambrosius in cap. 11. Isaiæ, & in sermone de Gabaonitis ait. Aue virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. *Verba Ambrosij omnino ficta, quæ non in Isaia citato, neque vllus est sermo de Gabaonitis facta exacta diligentia, inquit Cardinalis de Turrecremata p.10. c.26. & p. 12. c. 24. Scripsit autem Turrecremata de verit. Concept. B V. anno 1437. pro facienda relatione coram PP. Concil. Basileæ: Officium vero Leonardi de Nogarolis, in quo ea verba referuntur, fuit expunctum à Pio V. Item Turrecremata scripsit 39. annis ante Leonardum prædictum. Ibidem S. Ambros. lib.1. de Virg. Inst. c.9. ait Virga es ô Virgo, non incuruaris, non inflecteris in terram, vt in te flos radicis ascendat, quæ verba nullus reperiet in dicto citato loco.*

Re-

Respondeo. Ea verba D. *Ambrosij* in c. 11. *Isaiæ* recognosci ab Episcopo Plasent. in Propug. fol. 209. nu. 258. à Bernardino de Bustis serm. 5. p. 2. & adducit pro se B. Michaelem de *Carcano*. *Ab* Episcopo *Acernensi* in suo tract. c. 17. n. 11. à Clictobæo lib. 1. de Purit. Concept. c. 13. à Frãcisco Biuario in libello, de *SS*. PP. vindicatis, à Marraccio in libel. *Antistites* Mariani fol. 34. à Salazar c. 42. & quidem ea verba esse *S. Ambrosij* latè probat Granado disp. 3. de Concept. c. 10. ex Breuiario Romano edito Lugduni anno 1544. & Venetijs apud Iunctas an. 1550. vbi dicitur. *Sermones SS.PP.* qui ibi referuntur, esse collati cum proprijs exemplaribus; tùm quia *S*. Ambrosius se scripsisse Comentaria super Isaiam fatetur lib. 2. in Lucam; At efficacissimè id probatur ex eo, quod ea verba tanquam Ambrosij habentur in officio Nogarolico, quod non fuit expunctum à Pio V. quasi aliquid falsi contineret, aliàs errasset Ecclesia, quæ per 100. annos illo officio vsa est, Ecclesia autem non potest errare in forma orandi, quia forma orandi est regula credendi ex *S*. Augustino in Agenda pro mortuis, & ideò sicut non potest errare in regula credendi, ità neque in forma orandi; expunctum ergo fuit illud officium, quia Pius V. voluit omnia ad antiquum, & vniformem ritum reducere, ità vt recitaretur officium idem in Conceptione, quod in Natiuitate mutato solo nomine Natiuitatis in nomen Conceptionis, quæ fuit prima, & miraculosa institutio huius officij, vt patet ex D. *Anselmo* Hom. 1. de festo Concept. & Baronio in suo Martyrol. die 8. Decembris. Hinc prædicta officij mutatio non parum Conceptionis Immaculatæ rem promouere videtur, ait *Suarez* 3. p. q. 27. *sect*. 6. Præterquam quod in officio concesso PP. Franciscanis ab eodem Pio V. ea verba tãquam Ambrosij leguntur, & Paulus V. concessit 100. annos Indulgentiarum recitantibus illam *Antiphonam*, *Aue* Virga, &c. & orationem, Deus, qui per Immaculatam &c. vt patet ex Bulla edita die 10. Iunij an. 1616.

Verum hic falsò adducitur Turrecremata de Veritate Concept. nam eum librum fuisse compositum à Bartholomæo de *S*pina, vel Alberto Duimio, ostendunt manifestè verba in Præfatione eius libri, & asserit Catharinus vbi supra, qui quia domesticus, testis est irrefragabilis. Et quidem fictitius Turrecremata, non ità constanter negat ea verba esse D. *A*mbrosij, quin etiam concedat, sed explicat verificari de B. Virgine pro tempore suæ Natiuitatis; & quia loco cit. ex communi sententia *SS.* PP. ea verba intelliguntur de B. Virgine, prout immuni à peccato originali, quod ideo dicitur Nodus, quia est ligatura, qua homo dicitur captiuus, & ligatus in lege peccati, vt ait fictitius Turrecremata, ideò satis probabile est ab alijs *S*anctis PP. & DD. *S*anctum *A*mbrosium non dissentiendo ea verba pronunciasse.

*S*ermo de Gabaonitis refertur à Pelbarto in stellario lib. 4. p. 1. art. 3. à Bernardino de Bustis in officio de Concept. lect. 1. ab *A*ntonio de Cuccaro in Elucid. B. M. V. p. 2. ab Episc. Acernen. lib. 2. c. 17. nu. 11. & alijs, quod autem in nouis editionibus sermo ille non inueniatur, sublatus est ab Hæreticis, vel ab Aduersarijs. Postrema verba S. Ambrosij refert Masculus in Ponderat. ad S. Ambrosium pag. 36. n. 15. & reperies in lib. 1. de Institut. Virg. c. 9. vbi quærens S. Ambrosius, quare B. Virgo comparetur Virgæ, adducit verba citata.

Septimo opponitur: S. Petrus Damianus hom. in Nat. B. Virg. ad illud Ezecchielis, Porta hæc semper erit clausa, ait, benè semper clausa; quia semper incorrupta, ergo B. Virgo fuit immunis ab originali in instanti suæ Conceptionis, *Sed mutilatur Sanctus ex sequentibus, ac proindè perperam est intellectus, qui manifestè ibi loquitur de Incorruptione Virginitatis, quia dicit serm. 3. de Natiu. incorrupta post partum.*

Respondeo: Ea verba S. Petri Damiani intelligi, non solum de perpetua Virginitate B. M. Virginis, sed etiam de eius Immunitate ab originali, fusè probat Episcopus Acer-

 nensi.

nensis in suo tract. c. 19. ex Arato antiquissimo Subdiacono Ecclesiæ Romanæ, ex S. Venantio Fortunato Pictauiensi Episcopo, ex officio Nogarolico approbato à Sixto IV. & ab alijs Sũmis Pontificibus concesso Ordini Franciscano, sed his omissis, sicut qui diceret, Petrum esse risibilem, æquiualenter, & per bonam consequentiam diceret, esse rationalem, ità S. Petrus Damianus dicens B. Virginem esse perpetuò Virginem, æquiualenter, & per consequentiam dicit, esse immunem ab originali, quia perpetua Virginitas est effectus propriuś iustitiæ, & innocentiæ originalis, à qua fluit, vt risibile à rationali, vt supra diximus ex S. Thoma, & Augustino. Deindè Hyacinthus Arpalegus Ordinis Dominicani, & assertor affirmatiuæ in libello supplici oblato Innocentio Papæ X. docet, ex S. Thoma Virginitatem materialiter esse in corpore, formaliter in anima, non solum per carentiam actus peccaminosi in materia Castitatis, sed in quacunque alia materia, vnde adducit S. Hieronymum in c. 27. Isaiæ, & in c. 5. Amos, asserentem Virginitatem mentis esse fidem; ergo si S. Damianus asserit B. Virginem fuisse Virginem corpore, & mente, benè, & validè ex asserta Virginitate tali, infertur immunitas ab originali, si vera est sententia Arpalegi, quam relatam habes apud Episcopum Plasentinum in suo Propugnaculo fol. 170. nu. 217.

Octauo opponitur S. Ioannes Damascenus orat. 1. de Dormitione Deiparæ, vbi cum sibi obiecisset illud Ecclesiastis, antè mortem neminem Beatum dicas: ait. Abs te non à morte, sed ab ipsa Conceptione dictum est fore, vt Te Beatam dicerent omnes generationes, quò circà non mors Te Beatam reddidit, sed ipsa mortem exornasti. *At mutilatur Sanctus ex antecedentibus, ac proindè perperàm intellectus, quia ibi loquitur de Conceptione actiua B. Virginis, quia dicit, antè mortem neminem Beatum dicas, minimè in Te hoc vsurpabimus &c. omnium etenim bonorum, initium, & medium, & finis; securitas item, ac vera confirmatio in illa feminis*

minis experte Conceptione, in illa diuina inhabitatione, in illa deniq; ab omni labe remoto partu posita fuit; testem appello ipsam B. Virginem, quæ post conceptum filium cecinit, Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.

Respondeo. Aliud esse assignare causam propter quam, vel pro qua Virgo Maria dicta est Beata ab omni generatione, & pro qua, vel propter quam in ea fuit initium, medium, & finis, securitas, & confirmatio omnium bonorum, & hanc vltrò concedo esse Conceptionem actiuam expertem seminis virilis; & aliud omninò diuersum est, assignare tempus, in quo, vel ex quo Virgo Maria dicta est Beata, atq; omnibus bonis repleta, & hoc non fuit tempus Conceptionis actiuæ, sed passiuæ ex Damasceno, qui morti vltimo vitæ termino è regione opponit Conceptionem. *Abs te non à morte, sed à Conceptione dictum est*. At Conceptio è regione opposita vltimo termino vitæ, est Conceptio passiua, quæ est primus vitæ terminus, ergo loquitur de Conceptione passiua, quando eam opponit morti, quamuis supra locutus fuerit de actiua, tanquam de causa eius beatitudinis, quæ Virgini attributa est in ipsomet instanti Conceptionis suæ passiuæ; & ità de seipsa testatur *B.* Virgo verbis allatis, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes, vbi *Tò ex hoc*, non importat instans Conceptionis actiuæ, sed denotat Conceptionem actiuã fuisse causam, ob quam Beatitudo debita fuit *B.V.* non in morte, vt in cæteris Sanctis, sed in ipsomet instanti suæ Conceptionis passiuæ, vndè Augustinus in explicat. super magnificat, illud ex hoc Beatam me dicent, ità explicat, quia ab omni generatione pro fructu fęcũditatis meæ Beata vocor. Et D. Bernardus serm. 2. Pentecostes, qui incipit, hodie dilectissimi, ait; ex hoc ergo Beatam me dicent omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti; en quomodo vterq; S. Augustinus, & Bernardus. *Tò ex hoc*, explicant per, *quia*; Quid? si omnes generationes debent dicere, Beatam Mariam, ergo etiam illæ generationes,

ctiones, quæ existebant in instanti animationis *B.* Virginis, poterant illam dicere *Beatam*; at *Beatam* non possent dicere, si maculatam supponerẽ originali, ergo in illo instãti debuit esse Virgo Maria immunis ab originali.

Nonò opponitur. S. Ioannes Damascenus orat. 1. de Dormit. Deiparæ ait. Spiritus Sancti vis Sanctificans *B.* Virginem prærigauit, ergo *B.* Virgo fuit à peccato originali præseruata. *At mutilatur Sanctus ex antecedentibus verbis, qui manifestè loquitur ibi de tempore Conceptionis Christi, quando Spiritus Sanctus superuenit in Virginem purgando eam à fomite totaliter, vt vult* S. Thomas, *quia dicit Sanctus, cuius partus nouus, & inusitatus fuit &c. generatio natura, & cogitatione præstantior, obitus præclarus, & sanctus; hanc, & Pater prædestinauit, Spiritus Sanctus per Prophetas prædixerat, Spiritus Sanctus purgauit, sanctificauit, veluti; prærigauit.*

Respondeo: Communem esse sententiam Assertorum negatiuæ; Gratias, *B*enedictiones, & Priuilegia in *B.* Virgine expressa, & declarata in die suæ Annuntiationis, fuisse à Deo concessa *B.* Virgini in instanti suæ Conceptionis passiuæ, idq; colligi primò ex S. Bernardo ad illa verba, Gratia plena, vbi ait S. Bernardus non modo plena, sed super plena, nam antè Aduentum Angeli iam erat Gratia plena. Colligitur secundo ex B. Alberto Magno in expofit. super missus, & magnificat, vbi ait: omittit autem Angelus interponere nomen, Maria, quod tamen Ecclesia nominat, quia antè est nominatum, vel in aliud tempus nominãdum, postquam gratiæ eius fuerunt explanatæ, sine quibus tam plenæ significationis nomen intelligeretur. Colligitur tertiò ex S. Thoma 3. p. q. 27. art. vbi dicit, B. Virginem nõ peccasse vnquam actualiter etiam ante diem Conceptionis actiuæ, quia aliàs non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando, iam ergo Priuilegium immunitatis ab originali fuit B. Virgini concessum antè Conceptionem actiuam Christi, quia iam antè, & ipsomet instanti animationis suæ

erat

erat Mater, vndè Chrysologus serm. 146. quomodo non antè conceptum Mater, quæ post partum Virgo Mater, aut Genitrix quando non? quæ sæculorum genuit Auctorem? & S. Antoninus loco infrà cit. docet, B. Virginem esse appellandam Matrem antiquitate, quia ab initio, & antè sæcula fuit Mater. Quarto colligitur ex S. Hieronymo serm. de Assumpt. ad illa verba, Dominus tecum, mira res, etiam erat cum Virgine, qui ad Virginem mittebat Angelum, & præcessit nuntium suum Deus. Ideò purgatio, & sanctificatio asserta à Damasceno, quo die fuit Conceptio actiua Christi, referenda sunt ad diem, & horam, seù instans Cōceptionis passiuæ, quia etiam tunc B. Virgo erat Mater, & ideò etiam S. Thomas dicit, in eo instanti fomitem fuisse ligatum, licet non totaliter extinctum.

Decimò opponitur: S. Antoninus, qui tomo 4. suæ Summæ c. 5. §. 1. dicit. Per hunc modum B Virgo dicitur Ciuitas Dei, quia semper possedit eam quietè; & sub perfecta obedientia, at hoc est non contraxisse originale, ergo. Sed; *mutilatur Sanctus, quia loquitur de peccatis actualibus, ait enim, nullius autem sancti, vel sanctæ animæ fuit, in qua non fuerit aliqua Rebellio saltem secundum passionem, & actualia, & ideò sanctus loquitur de peccatis actualibus, non de originali, de quo infrà dicit citius quam alii, & forte eadem die, eadem bora, & si non momento mundatam; quid clarius?*

Respondeo. Hæc recurrere regulam S. Augustini, de qua supra in responsione ad primum; si enim per Te B. Virgo caruit actualibus, ergo caruit originali, ideòq; dicitur à Deo perfectè possessa. Deindè per Te ex S. Antonino in Beata Virg. non fuit Rebellio quò ad passionem, & quò ad venialia, sed rebellio, vel est effectus, vel pœna originalis, & vbi non est pœna, neq; debet esse culpa, ergò si ex S. Antonino, vt ais, non fuit in B. Virgine Rebellio quò ad passionem, & quò ad venialia, ergo neq; fuit culpa originalis. Nec valet; S. Antoninus loquitur de peccatis actualibus, ergo non loquitur de originali, potest enim de vtroq; lo-

qui modo explicato. Postrema verba S. Antonini, quæ afferuntur ad probandam affirmatiuam, non licuit à te afferri, transgrederis enim leges silentij Tibi à Summis Pontificibus impositi; sed transeat; dicit S. Antoninus, B. Virginem fuisse mundatam ab originali forte eadem die, eadẽ hora, & si non eodem momento, at ipse se explicat S. Antoninus, quid intelligat, nomine peccati originalis, à quo dicit, B. Virginem mundatam; nam 1. p. summæ tit. 8. c. 1. docet, peccatum originale formaliter esse defectum, seù priuationem iustitiæ originalis, dicitur autem originalis iustitia illa rectitudo, in qua fuit creatus primus homo; in qua mens, & ratio erat subdita Deo, corpus spiritui; si ergo velis cum S. Antonino, B. Virginem in instãti animationis suæ, non habuisse complete, & plene innocentiam originalem, esto; nam probabile est, quod ait D. Thomas, in illo instanti non fuisse ablatum fomitem, sed ligatum in B. Virgine, hoc etiam videntur intendisse Magnus Albertus S. Vincentius Ferrerius, & quidam ex Antiquis, quando dicunt, B. Virginem conceptam in originali; sed statim, & subito fuisse mundatam. Id, quod constantissimè pernego, est, in illo instanti non fuisse in B. Virgine gratiam sanctificantem, cuius priuatio primò, & principaliter in sensu præsentis Controuersiæ de Immacul. importatur à peccato originali, sed hoc non asseritur à S. Antonino.

Vndecimo opponitur: S. Vincentius serm. 2. de Nat. Quãdo Virgo fuit sanctificata, nullus hominum sciuit, sed Angeli sciuerunt; ò quale gaudium fecerunt, ratio est, quia, dixit Christus in Euangelio, gaudium est in Cœlo &c. ergo quanto magis super Virgine Maria, quæ nunquam peccauit, & quia S. loquitur de Natiuit. B. Virginis, quando dicit, eam nunquam peccasse, intelligit nunquam peccasse originaliter. *At mutilatur Sanctus ex sequentibus verbis, qui manifestè ibi loquitur non de originali, sed de actuali; ait enim sic, super Virgine Maria, quæ nunquam peccauit nec mortaliter, nec venialiter, nec in corde cogitando &c.*

C Respon-

Respondeo. In primis hic recurrere regulam S. Augustini, quod qui caret actualibus, caret originali. Deindè non valet, loquitur de actualibus, ergo non loquitur de originali; potest enim de vtroque loqui, vti de facto loquitur, quia particula, *nunquam*, tàm per logicos, quàm per Iuristas vniuersaliter distribuit magis, quam particula, *omnes*, in Paulo ad Rom. 5. omnes in Adam peccauerunt.

Duodecimò opponitur S. Vincentius serm. 1. de Natiu. Inuenio sex horas &c. B. Virgo fuit sanctificata in aurora, quia Deus non expectauit nouem menses, sed in eadem die, in eadem hora, qua creauit, sanctificauit, ergo in nullo instanti fuit Beata Virgo cùm peccato sine sanctificante gratia. *Hic deprauatur S. Vincentius, quia illa verba postrema qua creauit, sanctificauit, non sunt in S. Vincentio. Item dato, quod essent, non est bona consequentia, ergo in nullo instanti B. Virgo fuit sine sanctificante gratia, quia scilicet, non dicit in eodem momento, sed in eadem hora, sed hora non est instans, de quo est lis.*

Respondeo. Ea verba S. Vincentij esse in sermone de Conceptione, vt vel Aduersarius fassus est in replica ad responsionem primæ obiectionis supra, vndè quod ea verba hic à me afferantur serm. 1. de Nat. non arguit deprauationem, sed materialem loci errorem. Consequentia Discursus, & bona, & firma est, quia cùm S. Vincentius non distinguat, sed dicat, in eadem hora, & hora ex singulis, & omnibus instantibus componatur, ità vt si vnum desit, non sit hora, dum horam dicit, omnia instantia dicit nullo excepto.

Decimo tertiò opponitur S. Sophronius, quem adducit S. Fulgentius Episcopus Ruspensis in serm. de duplici Christi Nat. ait, Beata Virgo, ideò dicitur Immaculata, quia in nullo corrupta, sed B. Virginem in nullo fuisse corruptam, importat nullum habuisse peccatum originale, à quo omnis corruptio. *At relata verba sunt ficta, nec sunt in Sancto Fulgentio; qui relato loco dicit*: Primum hominem mu-

lier corrupta mente decepit, secundum hominem Virgo incorrupta Virginitate concepit. *Hæc illa, loquitur S. Fulgentius de Incorruptione Virginitatis B. Mariæ in sua Conceptione actiua, non de eius Conceptione passiua.*

Respondeo. Duo numerantur Sophronij, vnus fuit D. Hieronymi amicissimus, & hic habet relata verba formalibus, & præcisis verbis: alter, qui fuit Hierosolymitanus Patriarcha, seù Archiepiscopus habet ea verba æquiualenter, vt patet, non solum ex verbis adductis ab Aduersario, nàm valet inferre ex perpetua Virginitate innocentiam originalem, vt dixi supra, sed per verba sequentia, quæ mutilando, & deflorando textum, omisit Aduersarius; sequitur enim ibidem Sophronius Hierosolymitanus, *in prima hominis coniuge nequitia diaboli seductam deprauauit mentem, in secunda autem hominis Matre gratia Dei, & mentem integram seruauit, & carnem;* si gratia Dei mentem integrā seruauit, ergo integritatem habuit originalem, & in nullo fuit corrupta, ergo caruit originali, à quo omnis corruptio; & quidem huius Sophronij extat epist. in 6. Synodo act. 11. à Photio comprobata, in qua dicitur *B.* Virgo pura, & ab omni labe secundum corpus, & mentem libera.

Decimo quartò opponitur. S. Fulgentius Episcopus Ruspensis, nullum nouit contagium Virginis conscientia, sed nullum nouisse contagium, est, non contraxisse originale, ergo. *At Sanctus mutilatur ex antecedentibus verbis, qui non loquitur de originali, sed de actuali pro tempore Conceptionis actiuæ, sermone enim de laudibus Mariæ dicit sic ex parte Christi;* Virginitas ampliata est potius, quam fugata; in angusto corporis membro sustinuit, quidquid non sustinent Cœli; plena sunt viscera, & nullum nouit contagium Virginis conscientia, cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat; *manifestum est autem, quod actualis peccati contagium nescit conscientia, non vero originalis, quod solum dicimus contrahere.*

Respondeo: Non posse S. Fulgentium loqui de solo pec-

 cato

cato actuali pro tempore Conceptionis Christi, quia intuitu huius Conceptionis, & maternitatis immunis fuit B. Virgo ab actuali, etiam in instanti suæ passiuæ Conceptionis, aliàs nō fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando ex S. Thoma loco supra cit. Deinde contagium non dicitur de peccato actuali, sed de originali tantum ex phrasi D. Augustini locis sæpius cit. in Discursu. Quia tantum originale instar contagij serpit ab *Adamo* in posteros, & ideò, *Tò nescit*, applicatum contagio, restringitur ad significandum originale, cùm de se æquè possit de originali, & de actuali dici, vndè & de B. Virgine cecinit *Adam* Victorinus Sanctimonia iuxtà, ac sacra Poesi illustris.

Nos spineti nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed Tu Spinæ nescia.

Et *Alanus* Insulensis. *Nescia spineti florens Rosa, nescia Culpæ.* Deindè Aduersariomisit verba pulcherrima, quæ infrà subdidit S. Fulgentius pro Immaculata; *facta est Maria restauratio fœminarum, quia per ipsam à ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ.* Neque enim poterat Maria alias fœminas à ruina subtrahere, si vel ipsa fuisset prostrata ruina peccati originalis, & paulò post. *Cū dixit Aue, salutationem illi cœlestem exhibuit, cum dixit, gratia plena, ostendit iram ex integro exclusam primæ sententiæ, & pœnam benedictionis gratiam restitutam*; quæ à Defensoribus negatiuæ egregiè ponderantur pro Immaculata.

Decimo quintò opponitur: S. Thomas Aquinas explic. in Psal. 14. sed in Christo, & Maria nulla omninò culpa fuit, sed in Christo non fuit peccatum originale, ergo neq; in Maria. *Sed mutilatur quia loquitur de peccato actuali, quia dicit*; Item in Psal. 118. Beati Immaculati in via (sinè macula) scilicet mortali, quia peccatum veniale non habet maculam propriè Eccl. 31. Beatus est, qui inuentus est sinè macula, sed in Christo, & Maria nulla omninò culpa fuit, & istis appropriatur temperantia, contrà quam maculatur.

Re-

Respondeo: Ea verba in sensu à me adducto reperiri apud Lucam Vuadingum in Opusc. de Morte *B. Virg.* & meritò per ea verba excludi non solũ peccatum actuale, sed etiam originale, tum quia terminus, nulla, vniuersaliter distribuit, cum quia *Tò* omninò ex Barbosa, vt in Discursu n.94. est particula ampliatiua, & nullam admittens restrictionem: deniq; quia parificatur Christus Dominus, & Maria; atqui certum est, Christum Dominum caruisse originali quod quia habuit originem ab actu intemperantiæ commisso in esu pomi vetiti; ideò Christo, & Mariæ aliens à peccato originali, quamquam aliter, & diuerso modo, applicatur virtus temperantiæ.

Decimo sexto opponitur. *B.* Albertus Magnus serm. 15. de *Annunt. Beata* Virgo fuit mundissima ab omni labe vitiorum, ergo fuit mundissima à labe peccati originalis *At mutilatur Albertus, qui loquitur de peccato actuali, quia subdit,* nunquam enim mortaliter, vel etiam venialiter peccauit.

Respondeo in primis, hic recurrere regulam S. Augustini lib. 1. contrà Iulianum c. 9. de qua supra, qui enim caret actualibus, caret originali; vnde subdit Sanctus, propterea truncatè adductus ab Aduers. *& certè secundum hoc, plusquam homo hic, non est enim homo, qui non peccet*; quæ verba non possunt intelligi de peccato actuali, nam infantes sunt homo, & non peccant actualiter; Ioannes Baptista fuit homo, & tamen eum non peccasse venialiter, ait esse probabile Episcopus Plasentinus in suo Propugnaculo fol. 214. n.266. fundatur in illo Ecclesiæ, *nè leni saltem maculare vitam famine possit*; ergo intelliguntur de peccato originali, iuxta quod dicitur, nemo mundus à sorde, nec infans, cuius vnius diei vita est super terram, vndè *S.* Thomas in 3. d. 3. q. 1 art. 2. in argumento sed contrà, ait. Corruptio somitis est causa, cur dicere non possumus, peccatum non habemus. Tandem Albertus ibi in eo sensu dicit, fuisse mundissimam ab omni labe vitiorum, quo dicit, fuisse gratia ple-

nam,

nam; sed plenitudo gratiæ omne peccatum excludit, ergo Magnus Albertus ità loquitur de actuali, vt originale in sui locutione vniuersali non excludat.

Decimo septimò opponitur: S. Bonau. serm. 2. de B. Maria ait. Dico igitur, quod Domina nostra fuit gratia plena naturam præueniente, idest, gratia præseruatiua contrà fœditatem originalis culpæ, quam incurrisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia præseruata, præuentaque fuisset. *At præfatus sermo non est S. Bonau. sed fictus, quare in Editione Romana an. 1596 ex Typographia Vaticana notantur in margine dicti sermonis hæc verba.* B. Virginem fuisse in orig. Conceptam cum *S. Bernardo*, cum *S.* Thoma, & cum alijs, D. Bonauentura in 3. sent. art. 1. q. 1. & art. 2. omninò tuetur, hinc sermonum hunc D. *Bonau.* non esse, omninò fatendum est, cum ipse multis alijs in locis opinionem in 3. sent. affirmantem omninò, & constanter defendat.

Respondeo; Hunc sermonem tanquam D. Bonauenturæ recipiunt Episcopus *Acernensis* in suo tract. c. 28. n. 7. Episcopus Plasentinus in Propug. fol. 252. n. 313. Marraccius in Purpura Mariana fol. 74. & in Libello fides Caietana n. 35. nullus ex *Aduersarijs*, quem viderim, refragatur, præter *Antagonistam* meum; quod si verè ea verba marginalia reperiuntur, assuta sunt vel ab Hæreticis, vel ab Aduersarijs, nam Marraccius in Libello cit. benè aduertit, quod stylus *S. Bonau.* & authoritas Sixti V. qui accuratè admodum Bonauenturæ opera ventilari, & purgari fecit, præfatum sermonem esse *Sancti* Bonauenturæ Germanum opus conuincunt.

Decimo octauò opponitur. S. Bonauentura in specul. *B.* Mariæ lect. 2. ait. Considerandum est, quod *B.* Maria fuit immunis non solum à triplici væ culpæ actualis, sed etiam à triplici væ miseriæ originalis. *At libelli Auctori relata verba Sancti Bonauenturæ non prosunt, dum scilicet ipse immediatè subdit*, scilicet fomitis, à væ miseriæ parientium, idest, doloris, à væ miseriæ morientium, scilicet, incinerationis,

nihil-

nihilominus, quando agitur de peccato originali S. Bonau. lect. 9. & lect. 11. apertè docet, B. Virginem conceptam in originali.

Respondeo. Verba sequentia, quæ Aduers. subdit, efficacius stabilire argumentum meum, nam esse liberum à fomite, à dolore partus est effectus innocentiæ originalis; quarè ne dicamus S. Bonauenturam sibi contradixisse, in alijs locis intelligendus est, & explicandus de Conceptione, quæ est coagmentatio fœtus, non de Conceptione, quæ est animatio, ita Marraccius in libello fides Caietana fol. 36. & Episcopus Placentinus in Propug. folio 171. dicit, intelligendum esse de B. Virg. sanctificatione antè animationem cum Sancto Bernardo, Magno Alberto, Alensi, & alijs. Andreas Mendo Societatis Iesu in suo Memoriali, & Episcopus Acernensis in suo tract. aiunt stetisse D. Bonau. aliquando prò maculata, vt obediret præcepto Episcopi Parisiensis, sed serò deindè se retractasse.

Decimò nonò opponitur. S. Thomas *Aquinas* lect. 6. ad c. 3. epist. ad Galatas obitèr explicans verba Ecclesiastis c. 7. virum de mille vnum reperi, idest, Christum, qui fuit sinè omni peccato, mulierem autem non inueni, excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria, ergo Beata Virgo fuit sinè omni peccato, ergo sine originali, verba S. Thomæ ipsemet vidi in Editi. Parisiensi an. 1541. *At S. Thomam deprauatum in Edit. Parisiensi videbit Auctor libelli, si dignabitur videre S. Thomam in Psal. 13. ubi eadem repetit sine illa exceptione,* imò habet Christus solus non habuit peccatum nec contractum, nec commissum, B. Virgo habuit contractum peccatum, *& super Psal. 50. ait;* quidam sanctificantur in vtero, sed omnes prætèr Christum concipiuntur in originali, hæc ille. *Deindè afferuntur exemplaria antiquiora sinè illa exceptione; quam demum Franciscus Syluius 3. p. q. 27. art. 1. dicit, eam exceptionem fuisse assutam.*

Respondeo. Exceptionem illam omninò esse apponendam vtrobiq; quia D. Thomas vtrobiq; loquitur tàm de originali, quàm de actuali, affert enim illud Psalmi; non est,

qui

qui faciat bonum; non est vsq; ad vnum; quæ verba peccatum actuale indicant apertè; quod autem illa exceptio non reperiatur, accidit Aduersariorũ culpa, à quibus fuisse abrasam testantur Henriquez lib. 3. Summæ c. 12. Pineda in cap. 7. Eccles. n. 7. Theophilus Raynaudus in Dyptheicis Marianis p. 2. n. 46. Catharinus in opusculo de Concept. quia verò D. Thomas in Ps. 13. adducitur, quod dicat, B. Virgo habuit contractum, explicandus est de peccato originali in carne, & secundum debitum, & eodem modo explicandus est, & intelligendus in Ps. 50. solus Christus conceptus est sinè originali, & actu, & secundum debitum, nam alij concepti sunt in originali vel actu, vel secundum debitum, aliàs D. Thomas sibi contradixisset, cùm alijs in locis immunitatem B. Virginis ab originali fateatur: distinctio hæc de actu, & debito est Caietani 1. 2. q. 81. art. 3. & ipsius D. Thomæ in 4. dist. 3. art. 4. ad 3. Quod si velit Aduersarius me aliter sentire, afferat ipse textum D. Thomæ sinè illa exceptione, antè ortam Controu. Demum mihi valdè suspecta videtur lectio illa, Christus non habuit peccatum nec contractum, nec commissum, B. Virgo habuit contractum, quia nimis clara, & aperta est pro maculata, & alijs suæ doctrinæ locis non ità clarè loquitur S. Thomas, cuius tempore non erat ista Controuersia adinuenta, vt fatetur Caietanus loco infrà citando.

Vigesimò opponitur S. Hieronymus, qui serm. de Assumpt. dicit. Benè gratia plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ autem tota simul se infudit gratiæ plenitudo, quæ est in Christo, sed in Maria fuisse totam gratiæ plenitudinem, est eam fuisse immunem à peccato originali, ergo. *At Sanctus mutilatur, seù defloratur verbis, quæ mediant inter ea, quæ refert libellus, & sunt; hoc quippè est, quando verbum Caro factum est, ideò Sanctus ibi loquitur de Conceptione actiua, non passiua.*

Respondeo. Ea verba S. Hieronymi ità reperiri in dicto sermone de Assumptione, vti referuntur in Discursu, & apud

apud Catharinum in disp. pro Immac. ad Synodum Tridentinam p.1.fol.85.apud Episcopum Acernensem in suo tract. c. 18. licet eum sermonem adscribat Sophronio. At omninò falsum est, verba, quæ affert *Aduersarius* mediare inter relata in Discursu, imò truncatè omninò, & transpositè afferuntur, nam Sanctus immediatè post ad relata in Discursu;sic ait, hoc quippè est, quod Dauid canit, descēdit sicut pluuia in vellus; & quatuor lineis interiectis;subdit, quando Verbum caro factum est; en quomodo Aduersarius transponendo verba,truncat, & deflorat Hieronymum, suummet errorem alijs appingens per summam iniuriam; & paulò post S.Hieronymus explicans illa verba, Dominus tecum, ait, Dominum iam fuisse in Virgine antè Angelicā salutationem, sic enim habet formaliter, & in terminis; etiam erat in Virgine,qui ad Virginem mittebat *Angelum*, & præcessit nuntium suum Deus; En quomodo Hieronymus apertè docet, Gratias concessas B.Virgini in Conceptione sui actiua, retrotrahenda esse antè illud temporis, quo actiua Conceptio peracta est.

Vigesimoprimò opponitur S. Hieronymus ad illa verba Psalm.77.Deduxisti illos in nube diei,ait.Nubes est B.Virgo,quæ benè dicitur nubes diei, quia nunquam fuit in tenebris sed semper in luce; *Verum non certò constat, hoc opus esse Hieronymi,inquit Syluius loco aliàs cit. & Sixtus Senensis, quia multa continet contrà Hieronymum.*

Respondeo. Ea verba referri tanquam D.Hieronymi à Catharino,vbi supra in resp.ad Obiect.20. ab Episcopo Acernensi,vbi suprà,ab Episcopo Plasentino in Propugn. f. 214 nu.265.à Marraccio in Purpura *Mariana* fol.204.imò & à Hyacinto *Arpalego* quamuis Aduersario, qui tamen ea verba intelligit de Conceptione actiua B.Virginis, non passiua.Sed esto non sit Hieronymi,erit Sophronij, qui fuit D.Hieronymo amicissimus,nec non pius,& doctus vir, ergo adducta verba in Discursu parem habent authoritatē, & pondus,ac si essent D.Hieronymi.

Vigesimosecundò opponitur S. Anselmus lib. de Concept. B. Virginis c. 3. ait. Si igitur Hieremias, qui erat in gentibus propheta turus in vulua est sanctificatus, &c. *At S. Anselmus de Concept. B. Virginis Commentarium scripsisse fertur, sed an eius sit, à multis ducitur in Controuersiam, vt notat Ioannes de Turrecremata p. 12. c. 10.* & Baronius in Martyr. die octauo Decembris, & in operibus D. Anselmi Coloniæ 1573. relatus liber non inuenitur, non igitur vrgent, quæ libellus refert ex Anselmo lib. de Concept. B. *M*. V. nu. 32. 40. 105.

Respondeo. Illud opusc. de Concept. reperiri inter opera D. Anselmi sub nomine Fragmentorum, ostendit editio Lugdunensis anni 1630. & maior pars Auctorum, quibus standum est, non diffitetur esse Anselmi. Vide Propugnac. Episcopi Plasentini fol. 148. nu. 195. Franciscum Biuarium in SS PP. vindicatis, *M*arraccium in libello Antistites Mariani fol. 60. Episcopum *A*ceruen. in suo tract. c. 25. nu. 1. 3. vbi ait. Contrà tam clara verba D. Anselmi pro Immacul. nil aliud posse opponi, nisi id, quod Ioannes de Turrecremata imaginatus est, nempè eum librum non esse Anselmi; sed quia hic liber antè tempora Ioann. de Turrecremata, hoc est antè an. 1400. pro vero Anselmi fœtu communi calculo fuit habitus, & post obiectiones Ioann. de Turrecremata Doctores Parisienses in c. 5. epist. ad Rom. qui Glossam ordinariam emendarunt, & alij, illum tanquam D. Anselmi recipiunt, non est negandum, eum librum verè esse Anselmi.

Vigesimo tertiò: S. Anselmus lib. de Excellentia Virginis c. 3. ait nulli dubium est, castissimum eius corpus, & sanctissimam animam eius funditus fuisse ab omni macula &c. *Verùm Sanctus mutilatur ex antecedentibus immediatis verbis, proindè perperam salua pace intellectur, qui clarè loquitur ibi non de tempore Conceptionis passiua B. V. sed de ipsa post Natiuitatem, & infantiles annos exuta, & consequenter per custodiam Angelorum ab omni actuali peccato funditus protecta, quia sic dicit antecedenter ad verba relata in libello. Na-*

tâ igitur; & infantiles annos exuta, quàm castè, quàm sanctè, quam Deo dignè vitam instituerit; & institutam egerit, quis vel cogitatu, non dicam dictu, queat coniectare? nulli deniq; dubium est &c. *Attendat rogo Authbor libelli, qua ibidem inferius subdit Anselmus*; Sancta virgo, inquit; Maria tàm excellenter illi placuit, nequaquam crederet, quis illam aliqua ratione excellentius placere potuisse, nimirum tenemus fide, ab omni si quid adhùc in illa originalis, siuè actualis peccati superer at, itâ mundatum cor illius, vt nec super eam Spiritus Domini, scilicet, super humilem; & quietam, & trementem verba sua totus quiesceret; *hac ille: Fomitem, qui est aliquid originalis peccati, fuisse extinctum in B. Virgine tempore Conceptionis Christi, docet S. Thomas 3.p.*

Respondeo. Ex regula supra tradita gratias omnes, & Priuilegia B. Virgini attributa in Conceptione actiua referenda esse ad tempus eius Conceptionis passiuæ, quia tunc etiam fuit Mater Dei, & quidem etiam in instanti Conceptionis passiuæ astitisse *B.* Virgini validam manum custodiæ Angelorum; refert Bernardinus de Bustis serm. 8. p. 3. vbi ait, tempore Bonifacij Papæ an. tertio, quædam Monialis meditabatur de Concept. Beatæ Virginis, & facta in estasi vidit B. Virginem sibi dicentem. Scias filia, quod meæ Cōceptioni, & sanctificationi astiterunt tria milia Cherubim canentium, & dicentium, Mater Domini est Maria, & tabernaculum Trinitatis. Et quidem in citatis Anselmi verbis notanda sunt ea; *iugi custodia, & funditus protecta*, nam priora significant custodiam nunquam intermissam à principio vitæ, vsq; ad finem, & funditus idem est, ac originaliter.

Vigesimo quartò opponitur. *B.* Albertus Magnus de laudibus Mariæ c. 179. dicimus ergo, quod hæc Puritas est ab originali, non dico distantia, sed segregatio, & ad primam lucem, quantum possibile est puræ Creaturæ, Deiformis approximatio, ergo Puritas B. Virginis fuit ab originali segre-

gregatio. *At mutilatur Beatus ex verbis, quæ immediatè sequuntur, proindè perperam intellectus, pergit enim Albertus,* vndè secundum rem nihil aliud est hæc puritas, *quam in summo c. 178. explicuit,* nisi peccati originalis deletio, fomitis extinctio, gratuitarum perfectionum vltimatio. *Hæc ille. Pergit adhùc Albertus.* Dicimus etiam quòd ad hãc Puritatem in summo quattuor gradibus ascendit. Primò enim purificata fuit per sanctificationem in vtero &c. *Verum quomodo fuerit in vtero sanctificata, explicauerat Beatus c. 166. Vbi sic dicit:* Item dicit Anselmus, Ea puritate B. Virgo nitebat, quæ sub Deo maior nequit intelligi, sed puritas hominis Dei est peccatum originale nec habere, nec vnquam habuisse, maior post illam est originale quidem habuisse, sed statim, & omninò ab illo mundatam esse, ergo B. Virgo debuit quidem in peccato originali concipi, sed statim ab ipso penitus mundari, ergo debuit in vtero sanctificari. *Hæc ille. Auctor libelli, salua pace, videtur nolle quærere Veritatem mentis Alberti circà Conceptionem B. Virginis.*

Respondeo. B. Albertum dici à me mutilatum, quia omisi in Discursu verba sequentia ad relatam in illo, at cur Aduersarius non debeat dici mutilasse, & detruncasse Albertum, quia omittit verba sequentia ad relata in sua obiectione, quæ apertissimè fauent Immaculatæ? Audi quid dicat Albertus de primo gradu, quo fuit B. Virgo purificata per sanctificationem in vtero, audi, & erubesce. *De primo dicit Canticorum 4. Tota pulchra es &c. tota pulchra ab originali, tota pulchra à mortali, & macula, scilicet, peccati venialis non est in Te.* Ad explicationem Alberti sanctificationis B. Virginis in vtero c. 166. audi impugnationem, seù retractationem, seù veriorem declarationem eiusdem Alberti c. 178. *Item si dicatur, quòd hæc puritas sit maior post Deum à recessu ab originali, quia Christus habuit puritatem ab originali talem, quod nunquam, & nullo modo habuit originale; alij omnes baptizati habent puritatem ab originali, quia habuerũt, & aliquo modo habent, quantum ad pœnam fomitis, sed inter*

nullo modo habere, nec habuisse, & inter habuisse, & habere, est medium habuisse, & non habere, quantum ad aliquid, & hæc Puritas fuit Beatissimæ Virginis immediatè post Christum; si sic dicatur, contra est, quia dicit Anselmus non post Christum, sed post Deum; Ecce Albertus impugnat, vel alio modo explicat puritatem B. Virginis in summo, ac explicauerat c. illo 166. Deinde c. 179. explicando verba, quæ adduxi in Discursu post verba, quæ nuper adduxit *Aduersarius*, ait: *Ex his patet, quod nihil ad propositum, quod obiicitur de aliis sanctis, vel inanimatis, vel Christo, vel Angelis Deo;* ergo quando affers puritatem hominis Dei, idest, Christi, ad Immaculatam Conceptionem *B. V.* impugnandam, nil affers ad propositum de Puritate B. Mariæ Virginis immediatè post Deum, ideò quando Albertus dicit, B. Virginem conceptam in originali, & statim mundatam, ne sibi contradicat, debet explicari, & intelligi, quod per peccatum originale, vel intellexerit debitum, vel carentiam iustitiæ, & innocentiæ originalis plenæ, & perfectæ; nō verò prout dicit carentiam gratiæ sanctificantis in instanti animationis, vt etiam supra dixi explicando S. Antoninum.

Vigesimo quinto opponitur: Magnus Albertus in Mariali de laudibus B. Mariæ c. 178. ait de puritate in summo fuit hæc Puritas *Beatissimæ* Virginis immediatè post puritatem Christi, sed puritas ex Sancto Thoma dicitur per recessum à contrario, idest, à peccato originali, ergo Beata Virgo &c. *Verum non desistit Auctor libelli, salua pace, mutilare Albertum, dum ex c. 178. accipit titulum capitis, scilicet,* de Puritate in summo, *& accipit;* fuit hæc Puritas Beatissimæ Virginis immediatè post puritatem Christi; *& omittit, quæ immediatè dicit Albertus, scilicet;* si sic dicatur, contrà est, quod non dicit Anselmus, post Christum, sed post Deum; *Puritatem igitur B. Virginis in summo dicit Albertus. Consequentia illatæ in libello non sunt ad mentem Alberti, qui explicans c. 178. B. Virginis Puritatem in summo esse vult, & c. 179. primo gradu acquisitam à B. Virgine per sanctificationem*

In vetero, quam sanctificationem explicat c. 166. non obstante originali à Virgine contracto; legat, rogo, Albertum, Auctor libelli, & videbit sibi illum non fauere pro Immaculata.

Respondeo. Aduersarius addendo, *Tò ait*, imponit mihi per summam iniuriam coniunctionem tituli, cum verbis, quæ habet Albertus in corpore cit. capitis, 178. nam in Discursu non dico; *B. Albertus in suo Mariali ait*, vt refert Aduers. sed dico. Nonagesima sexta est *B.* Alberti Magni in suo Mariali de laudibus B. Mariæ Virginis c. 178. De Puritate in summo: quarè ablato, *Tò ait*; & positis duobus punctis terminantibus, verba tituli non coniunguntur cum verbis, quæ habet Albertus in corpore eius capitis, Omisi, fateor, verba sequentia, *si sic dicatur, contrà est*; sed verba hæc non eneruant vim facti argumēti, hoc enim totum fundatur in termino illo, *Puritas*, asserta ab Alberto ibi, vbi agit de Puritate in summo; & Albertus ibi, non impugnat sensum, & significatum eius termini, sed impugnat doctrinam allatam ab Aduersario, nimirum, quod Puritas *B.* Virginis sit media inter puritatem hominis Dei, & puri hominis, vndè etiam ait, quod Puritas, quæ affertur de Christo, non est ad propositum de Puritate Virginis. Deniq; non benè afferitur, Puritatem in summo assertam à Magno Alberto c. 179. explicari per verba capitis 166. nunquam enim inuenies apud Auctores, explicari verba posteriora per antecedentia, sed è contra, antecedentia explicantur per posteriora, & subsequentia, explicatio enim est maior declaratio eorum, quæ dicta sunt, non eorum, quæ dicenda sunt.

Vigesimo sextò opponitur. S. Vincentius Ferrerius serm. 1. de Nat. ait; Lux dicitur illa benedicta generatio Mariæ, quæ facta est sinè tenebræ culpæ, sed B. Virginem fuisse generatam sinè tenebræ culpæ, est formaliter fuisse conceptam sinè peccato originali, ergo. *At mutilatur Sanctus ex verbis antecedentibus, quia per tenebra culpam Sanctus intelligi intentionem carnalem, & corruptam. Pergit Vincentius*, & facta est lux. Eccè sanctificatio B. Virginis, non credatis &c.

Respondeo; Si Conceptio B. Virginis fuit sine tenebræ culpæ, idest, sine intentione carnali, & corrupta Parentum B. Virginis Ioachim, & *Annæ*, qui potius, vt merè obedirent Deo, congressi sunt ad generandam, & concipiendam *B.* Virginem, vt ex Nostris fatentur, & summo conatu probant Canisius lib. 1. c. 7. Poza in Elucidario, Lezana, S. Brigitta in suis reuelat. li. 1. c. 9. necessariò, & manifestè deducitur, eam esse conceptam sine originali, quia tota ratio contrahendi originale in eo consistit; quod descendamus ab *Adamo* per seminalem generationem ex praua concupiscentia, & intentione carnali, & corrupta, ergo si hæc praua concupiscentia, & carnalis intentio non fuit per Te in Conceptione B. V. non est concepta in peccato originali.

Vidit huius argumenti vim, & efficaciã Arpalegus in suo libello supplici, & ideò acriter inuehitur contrà Pozam, asserentem Conceptionem B. Virginis fuisse factam sine concupiscentia, & intentione carnali, subdens, *hoc inauditum esse, ne dicam temerarium, & absq; vllo fundamento dictum.* Vide Propugn. Episcopi Plasent. fol. 166. n. 213. Tandem Aduersarius omisit tanquam sibi præiudicialia postrema verba S. Vincentij, *ne credatis, quod fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, & nutrimur, sed statim, ac fuit creata, fuit sanctificata*, quod cùm tàm sæpè faciat, omittendo obfutura, & ab vltimis vsq; finibus accersendo profutura verba SS. PP. non video, cur non possit argui de mutilatione, defloratione, deprauatione, quam alijs, tàm sæpè, & ad satietatem vsq; obijcit, & opponit. Vide amabò, quomodo tuo te laqueo capiatis.

Vigesimo septimò opponitur. *S.* Isidorus Thessalonicensis Archiepiscopus in suo Mariali orat. 2. de ingressu Immaculatissimæ in Sancta Sanctorum ait; Decebat etiam illius congressum &c. *Verum admiror valdè; quod Auctor libelli non aduerterit clariora verba Isidori orat. 4. in dormitione B. V. pro sententia affirmatiua, vbi sic ait.* Nata est quidem B. Virgo ex propria Matre sicut homo, & ideò antiquam crassitiem,

fitiem, dico autem peccatum originale, cum quo nata fuit, & quod initio acceperat, nullo modo poterat euitare, nec transgredi, de qua, & Diuus Dauid philosophauit dicens, in peccatis concepit me Mater mea; hoc igitur solum in hanc vitam edita tulit, ostendens generi humano; alterius verò crassitiei, cuiuscunq; videlicet, inquinamenti prorsus incapax mansit; *hæc ille. Quid clarius? Quod verò notat Marraccius fol. 245. quod nullus hucusq; asserere ausus est, B. Virginem cùm originali macula fuisse natam, magis admiror, quod non distinguat duplicem Natiuitatem in vtero, & ex vtero, nullus quidem ait, B Virginem natam ex vtero in originali, at natam in vtero cùm illo, docent omnes antiqui Theologi. Potest autem Isidorus explicari in primo suo dicto de congressu parentum sinè tenebræ culpa, vt dictum est cum Sancto Vincentio, nam dicit immediatè, quod quidem parentes suo facto ostenderunt; è congressu enim habito cùm Deo, deuenerunt ad congressum, qui concipiendæ prolis causa fuit.* Hæc ille.

Respondeo. Verba citata orat. 4. de Dormitione Deiparæ, nullam habere vim contrà Negatiuam; nam per antiquam crassitiem ego intelligo morbidam qualitatem corpoream receptam in carne, in qua consistere originale peccatum dixere quam plures ex antiquis Theologis, vt Mag. in 2.d.30.& 31. qui propterea visi sunt stare pro affirmatiua, pro qua valdè miror, quod *Aduersa* audeat, tam confidenter afferre probationes, & confirmationes, cùm de ea, nè loqui quidem possit, nisi cum Fratribus sui ordinis, & intrà claustra suæ Religionis duntaxat. Immeritò miratur, Marraccium non distinxisse Natiuitatem in vtero, & ex vtero, quia notum est, eam distinctionem ab Assertoribus negatiuæ oditam esse cane peius, & angue; quid enim absurdius, quam confundere Conceptionem cum Natiuitate, Conceptionem appellando Natiuitatem; similiter posset quis Natiuitatem appellare Conceptionem, & quando SS.PP. dicunt, B. Virginem natam sinè originali, intelligere esse Conceptam sinè originali; & quia B.Virginem

esse natam sinè originali, est adeò certum, vt contrarium dici non possit sinè temeritatis nota, etiam esse conceptam sinè originali, erit simili modo certum; quod vtinam *Aduersarius* admitteret.

Vigesimo octauò. S. Dionysius Alexandrinus in epist. ad Paulū Samosatenū ait. Filius Dei Matrē incorruptam à pedibus, vsq; ad caput benedictam seruauit; sed Beatam Virginem fuisse seruatam incorruptam à pedibus vsq; ad caput, importat seruatam esse immunem à peccato originali, ergo. *At Dionysius mutilatur ex antecedentibus verbis ad relata in libello, ac proindè perperam, salua pace, intellectus, de Conceptione passiua B. Virginis; qui manifestè loquitur de Incorruptione Virginitatis, & de Conceptione actiua, nam sic dicit.* Ipse est, qui nouissimis diebus propter nos venit, non in figura ignis, sed conceptus in ventre Virginis Mariæ superueniente Spiritu Sancto in eam, & Matrē à pedibus vsq; ad caput benedictam seruauit, sicut ipse solus nouit modum conceptus, & ortus sui. *Hæc ille in responsione ad 10. quæst. manifestum est autem, quod tempore Annuntiationis Virginis legimus Lucæ* 1. *Spiritus Sanctus superueniet in Te.*

Respondeo. Verba Dionysij in sensu à me relata, recipi ab Episcopo Acernen. in suo tract. cap. 17. n. 11. ab Episcopo Plasentino in Propug. fol. 173. nu. 221. à Salazar, & alijs defensoribus Negatiuæ. Nam quia verba citata sunt vniuersalia, & complectentia initium, & finem vitæ V. Mariæ, hoc est Conceptionem expressam per caput, & fœlicem eius transitum expressum per pedes, & quia omnia gloriosa, quæ de B. Virgine dicuntur pro tempore Conceptionis Actiuæ, referenda sunt ad tempus Conceptionis passiuæ, vt sæpiùs probatum est, ideò adducta hic ab *Aduers.* nihil vrgent.

Vigesimo nonò opponitur: S. Ildephonsus, *Archiepiscopus* Toletanus lib. de Virgin. & Part. B. M. V. ait. Sed libet eximiæ pietatis honorem vobis, & eius B. V. prædicare, pudicitiam incorruptam, & incontaminatam, & à conta-

gione primæ originis alienam. *At Sanctus mutilatur, ex verbis immediatè antecedentibus, & sequentibus ad relata in libello, proindè perperam intellectus, qui manifestè ibi loquitur de tempore Conceptionis activæ, in quo Virginis eluxit incorruptio in Conceptione, & parturitione Verbi, quia sic dicit.* B. Virgo nihil horum pertulit, quæ & gaudium habuit in fructu, & honorē in partu; hinc quoq; dicitur concepisse Virgo, peperisse, & permansisse, sed libet eximiæ pietatis Virginem &c. de qua si interrogemus Virgines, norunt incorruptionis gratiam, sed nesciunt fæcunditatem prolis; si verò quæramus apud coniugio dedicatas, sciunt quidem maledictionem Euæ, pressuras, & gemitus, sciunt & inter ærumnas, & tristitiam fęcunditatem seminis, sed nesciunt, integritatem Virginitatis nec in Conceptu, nec in partu, B. Virgo Mater Domini in vtroque permansit; *Hæc ille. Quid clarius?*

Respondeo. Verè S. Ildephonsum in verbis cit. loqui de Virginitate, & Conceptione activa Christi; sed insimul asserere ibi *B.* Virginem fuisse alienam ab omni contagione primæ originis; Quid est contagio primæ originis, est nè Virginitas? Deindè Ildephonsus eodem libro bis repetit, *constat eam ab originali peccato fuisse immunem*: bis repetit, *nec contraxit in vtero sanctificata originale peccatum*; interrogatiuè ait, *quomodo sinè peccato originali non fuit?* Vide Acerrens. c. 20. à n. 8. vsq; ad 10. & Plasentinum in Propug. fol. 138. à n. 183. vsq; ad n. 188. sed sistamus in citatis verbis. Ais ex Ildephonso. *B. Virgo nil horum pertulit*, sed non explicas, quid veniat per *Tò horum*, mutilas ergo, & deprauas Ildephonsum; horum, idest, doloris, quem aliæ parturientes sentiunt; horum, idest, immunditiæ, & contumeliæ, quas aliæ parturientes experiuntur; si ergo B. Virgo est immunis à dolore partus, si ab immunditia, quæ sunt pœnæ peccati originalis, ergo immunis est ab originali culpa, in eo enim, in quo non est pœna, neq; debet esse culpa.

Trigesimò opponitur. S. Ildephonsus lib. de Virg. & partur,

Partur. *B.* Virg. ait. Gemitus, & corruptio in partu fœminarum ex delicto, & maledictione primæ originis veniunt, Maria autem in totum extranea fuit à maledicto primæ damnationis, sed fuisse B. Virginem extraneam à maledicto primæ damnationis, est etiã immunem fuisse à peccato originali, ergo. *At Sanctus mutilatur ex verbis immediatè sequentibus ad relata in libello, proindè perperam intellectus de Conceptione passiua Virginis, qui manifestè ibi loquitur de tempore Conceptionis actiuæ, quando fomes, qui est effectus peccati originalis, fuit ei totaliter extinctus, vt docet S. Thomas 3.p.q.27.art.9. Ildephonsus sic dicit immediatè ad verba relata, sed deflorata in libello.* B. Virgo plena gratia nec dolorem sensit, nec corruptionem viscerum pertulit, quia quantum aliena fuit à culpa Spiritu Sancto in ea cooperante, & virtute altissimi, qua adumbratur, in totum extranea fuit à maledicto primæ damnationis, & tantum immunis permansit à corruptione carnis, nec non à gemitu, & doloribus, quibus vexantur filiæ Euæ, dum parturiunt &c. *Hæc ille. Manifestum est autem, quod tempore Conceptionis actiuæ Virginis Spiritus Sanctus cooperatus est in ea, & virtus altissimi ei obumbrauit Lucæ 1.*

Respondeo. Ex dictis iam in responsione ad obiectionem 29. patere, quid sit dicendum ad istam Trigesimam, & ideò non est, cur in dictis iam, & superfluis immoremur. Solum noto primò, *B.* Virginem dici extraneam à maledicto primæ damnationis, tam clarè, tam dilucidè indicare eius innocentiam originalem perpetuam, vt clariora verba inuenlri vix possint. Secundo, *B.* Virginem immunem fuisse à dolore partus, & à corruptione viscerum, quæ sentiunt filiæ Euæ, dum pariunt, esse pœnas peccati originalis, quod contrahunt filiæ Euæ, nõ dum pariunt, & alios concipiunt, sed dum ipsæ concipiuntur, & ideò si Beata Virgo est immunis ab his pœnis, est immunis à paccato originali, quod contrahitur ab homine, dum concipitur, non verò dum concipit, & alios parit.

Trigesimo primò opponitur. S. Ephrem Syrus orat. de Laudibus B. Mariæ ait, Immaculata, intemerata, incorrupta, & prorsus pudica ab omni sorde, & labe peccati alienissima Virgo Dei, & sponsa Domina nostra; At non fuisset B. Virgo Immaculata, intemerata, incorrupta, nisi caruisset originali, ergo. *At Sanctus mutilatur ex sequentibus immediatis verbis ad relata in libello, proindè perperam intellectus, qui loquitur ibi de tempore Conceptionis actiuæ, quando fuit ei fomes totaliter sublatus, vt proindè cæperit immunitas peccati relucere in ea, teste S. Thoma 3. p. q. 27. art. 3. vnde subdit Ephrem immediatè;* Quæ Deum, & hominem mundo mirifica, & gloriosa tua Conceptione peperisti.

Respondeo. Quod si Sanctus ibi loquitur de tempore Conceptionis actiuæ, & ea verba referenda non sunt ad tempus Conceptionis passiuæ, vt toties suprà dixi, esse referenda, sequeretur, B. Virginem antè tempus Conceptionis actiuæ, non fuisse Immaculatam, incorruptam, & prorsus pudicam; sequeretur, non fuisse in vtero sanctificatam, nec in ea fuisse fomitem ligatum, fuisse natam in originali, cõmisisse actualia; nam hæc omnia Priuilegia B. Virgini conueniunt, vt Mater Dei est, & vt in ea fuit Conceptio actiua; ergo toto tempore antecedenti ad diem Annuntiationis, hæc Priuilegia non essent illi vllo modo concedenda, quia deesset illi titulus Concessionis, idest, titulus Maternitatis; at hoc est absurdum, ergo gloriosa omnia, & speciosa, quæ de B. Virgine dicuntur pro tempore Conceptionis actiuæ, referenda sunt ad tempus Conceptionis passiuæ.

Trigesimo secundò opponitur. S. Fulpertus Carnotensis in ser. de B. Maria, vbi loquẽs de B. V. à Spiritu Sãcto singulari munere repleta, dum concipiebatur, ait; Nunquid abfuisse credendus est Spiritus Sanctus ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute &c. Si ergo Spiritus Sanctus non abfuit à B. Virgine, dum conciperetur, ergo B. Virgo libera fuit à peccato originali *At S. Fulpertus mutilatur ex antecedentibus immediatis verbis, & sequentibus ad relata in li-*

in libello, proindè perperam intellectus de Conceptione, qui manifestè ibi loquitur de Natiuit. B.Virginis, quia serm. 3. in ortu almæ Virginis inuiolatæ, sic dicit. Cogitamus de Sanctissima, & vltrà quam dici potest dilecta Virgine, Sponsa, scilicet; & Matre Domini Maria aliquam allocutionem facere, de ortu videlicet eius; Quanta putamus prouisio, fuerit SS. Angelorum circà tàm Deo gratissimos parentes ab initio suæ procreationis, & excubationis super ingentem sobolem; nunquid abfuisse credendus est Spiritus Sanctus ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute? *Et post paucas lineas dicit*. Hodie primiceria, & ductrix Virginum à Sanctis Prophetis, vaticinata oritur, congratulentur ei cunctæ Virgines, quia nascitur pudica puella, quæ amatorem peperit integræ Castitatis. *Hæc ille, Quid clarius?*

Respondeo. Admitto libentissime *S.* Fulpertum ibi loqui de Natiuitate B.Virginis, & summopere gaudeo, te tandem recognoscere assistentiam Spiritus Sancti, & Angelorum custodiam erga B.Virginem, non solum in die Annuntiationis, & pro tempore Conceptionis actiuæ Christi, sed longè antè, nimirum in eius Natiuitate, quod supra obiect. 30. & 23. renuebas admittere. At non sequitur, S.Fulpertum non loqui de Conceptione passiua, nam si amasses Veritatem, non attulisses verba Fulperti mutilata, & truncata ex antecedentibus verbis ad relata in obiectione. Nam S.Fulpertus quibusdam lineis antecedentibus habet; *In huius Conceptione necessaria haud dubium est, quin vtrumq; parentem viuificus, & ardens Spiritus singulari munere repleuerit, quodq; ab eis SS. Angelorum custodia, & prouisio nunquam abfuerit*. Quid? Quod ipsum manifestè elicitur ex verbis à te spontè adductis, sic enim refers, *quanta putamus fuerit prouisio SS. Angelorum circà tàm Deo gratissimos parentes ab initio suæ procreationis, & excubationis super tam ingentem sobolem*. Dicas amabò, initium Procreationis *B.* Virginis, est nè Natiuitas, an Conceptio? Nonnè creari dicitur ho-

mo,

mo, dum anima corpori infunditur, & vnitur? ergo Conceptioni *B.* Virginis deputata fuit SS. Angelorum custodia, vt etiam supra diximus ex Bernardino de Bustis; fuit ergo Sanctus Fulpertus à me benè intellectus, sincerè adductus; perperam intellectus ab Aduersario, & truncatè, ac deslocatè relatus.

Trigesimo tertiò opponitur. *S.* Athanasius Episcopus Alexandrinus serm. de Sanctissima Deipara, ait. Dicamus eam igitur iterum, atq; iterum, semper, & vndequaq; Beatissimam &c. sed Beatam Virginem dici semper, & vndequaq; Beatissimam, est dici in nullo temporis instanti fuisse alienam à peccato originali. *At Sanctus mutilatur ex verbis immediatis ad relata in libello, proindè perperam intellectus, qui manifestè loquitur ibi de tempore Conceptionis actiuæ, non passiuæ B. Virginis, quia sic dicit,* ex carne eius, & ex ossibus eius veluti ex veteri *A*dam, nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit, nimirum, ipsam Incarnationem, eamq; semel indutam perpetuò gestat; ac proindè ista noua Eua Mater vitæ appellatur, variegataq; permanet ad primitias vitæ immortalis omniũ viuẽtium; Dicimus eam igitur iterum, atq; iterum semper, & vndequaq; Beatissimam; H*æc illæ. Aduertat Auctor libelli causalem illam*, ac proindè ista noua Eua Mater vitæ appellatur &c. *&* *illam illationem*; Dicimus eam igitur; *quæ supponunt antecedentem Incarnationem factam tempore Conceptionis actiuæ B. Virginis, quæ postmodum cecinit*, Eccè enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes, Lucæ 1.

Respondeo. Aliud esse, assignare Causam ob quam, vel pro qua Beata Virgo debeat dici semper, & vndequaque Beatissima, & aliud est, assignare tempus, in quo, vel pro quo *B*eatissima debeat dici, vt etiam alibi supra in responsione ad octauam obiectionem adnotaui. Fateor, causam ob quam, vel pro qua B. Virgo Maria debeat dici Beatissima, esse Incarnationem filij Dei, & Conceptionem actiuam; sed tempus, in quo, vel pro quo debeat ità dici, non est

solum

solum tempus Incarnationis, & Conceptionis actiuæ, sed *semper*, ait Sanctus, & non nisi violenter, & contrà mentem *S.* Athanasij, *Tò semper*, potest coarctari ad solum tempus Conceptionis actiuæ, & Incarnationis.

Trigesimo quartò opponitur. S. Athanasius serm. de Sanctissima Deipara, ait, Qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vt potè quæ omni gratia abundas, idq; per superuentum Spiritus Sancti, sed non potest verè dici B. Virgo abundare omni gratia, nisi habeat gratiam præseruatiuam ab originali, ergo. *At Sanctus mutilatur ex antecedentibus verbis immediatis ad relata in libello, proindè perperam intellectus de tempore Conceptionis passiuæ, qui manifestè loquitur ibi de Conceptione actiua, sicut in superiori testimonio Athanasij n. 33. quia sic dicit:* Decet enim Te Matrem regeneratricem, Dominam, ac heram cognominari, ex eo quod ex te prodijt Dominus, ac Deus assistens illi, nobis quidem terribili, sibi autem dulci, omnemq; gratiam largienti vultu; qua de Causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vt potè quæ omni gratia abundares, idq; per superuentum in te Spiritus Sancti. *Hæc ille. Notet, rogo Auctor libelli illam causalem,* eo quod ex te prodijt. *Et aliam,* qua de causa factum est, vt gratia plena &c. *aduertetq; manifestè tempus Mariani Conceptus, & partus Verbi, quando in eam legitur superuentus* Spiritus *Sanctus. Vndè Nicolaus de Lyra Ord. Min. super Lucam. c. 1. ait.* Spiritus Sanctus superueniet in te, quia prius venerat Spiritus Sanctus super Virginem, adhùc in vtero Matris existentem, eam ab originali purgando, vt cōmunius dicitur, vel secundum alios à peccato originali præseruando. *Hæc ille. Venetijs 1495. vt in nostra libraria, licet vitiatum legerim Liranum in posterioribus editionibus.*

Respondeo. Verè Causam ob quam, vel pro qua B. Virgo fuit gratia plena, esse Conceptionem actiuam, & Maternitatem Christi; At quia ex dictis iam sæpè, & probatis etiam in instanti animationis suæ fuit Mater, ideò omnia priuilegia, quæ de Beata Virgine dicuntur, siuè à *SS. PP.* siuè à.

uè à *S*acra *S*criptura ; deberet de illa verificari pro tempo re eius Conceptionis passiuæ, seù animationis; Hoc est quod dicit Lyranus, quod *S*piritus Sanctus prius venerat in Virginem in vtero Matris existentem purgando, seù præseruando iuxta varias sententias, hoc est, quod dixerunt supra *SS*. Bernardus, Thomas, Hieronymus, & Magnus *A*lbertus n. seù obiect. 9.

Trigesimo quintò *S*.Maximus serm. de *A*ssumpt. ait, ex radice vitiata sinè vitio prodijt Virga; quæ intelligitur *B*. Virgo Maria attestante Isaia, qui dicit, exijt Virga ex Iesse, sed B. Virginem prodijsse sinè vitio, est prodijsse sinè peccato originali, ergo. *At Sanctus mutilatur ex verbis antecedentibus ad relata in libello, proindè per peram intellectus, qui manifestè non loquitur ibi de Conceptione, sed de* Natiuit.*B. Virginis, quia sic dicit in præfato sermone.* Auctor mortis huic reparationi inuidens fontem rudem humani generis, antequam riuulus Natiuitatis per auram spargeretur veneno suæ mortis immiscere festinauit. *S*i ergo genus humanum, quasi vnam arborem in radice tenera antequam propagini responderet, vitiauit, inde est, quod radix vitiata quotidie indesinenter per mortem marcescit, & sæpè cõtingit, quod aurum fulgens reperiatur in luto, & ex pungente spina pulchrè rubens oriatur, & rosa. Hoc enim operante Prouidẽtia Diuina, ex radice vitiata sinè vitio prodijt Virga de radice Iesse. *Hæc ille. Quibus verbis benè consideratis, inquit Turrecremata* p. 12. c. 8. *non de Conceptione loquitur Maximus, sed de Natiuitate eius ex vtero, de qua in serm. illo fit mentio, & confirmatur tam exemplis, quæ ponit, scilicet, fontis, rosæ, & radicis; quam ex illo vocabulo prodijt, quod idem est, ac in ante it,* quam ex verbo prophetico adducto Isaiæ, super quo Glossa interlinealis dicit, *Quod Prophetia de Natiuitate B. Virginis ex vtero, in qua sinè vitio prodijt, intelligenda sit,* in cuius testimonium Vniuersalis Ecclesia prædictam Prophetiam in die Natiuitatis eiusdem Sacratissimæ Virginis annua reuolutione commemorat.

Respondeo: Verba S.Maximi deprauatè afferri ab Aduersario, siuè etiam à supposititio Turrecremata, sic enim sincerè referuntur ab Episcopo Acernensi in suo Tract. c. 18. n. 32. *Ductor mortis deabolus, per cuius inuidiam mors intrauit in orbem terrarum, omne genus humanum in primo parente veneno suæ nequitiæ potauit, quasi arborem in radice, antequam proles propaginis prodiret, vitiauit; Inde est, quod radix vitiata quotidie frondet, frondesq; eius indesinenter per mortem marcescunt.* Cætera sunt consona. In qua lectione in primis, non habetur, *Tò riuulus Natiuitatis*, fortasse ideò ab Aduersario appositus, vt videretur Sanctus loqui de Natiuitate. Deindè per ea verba ità relata apparet, quod vitiata radice, etiam frondes succrescentes vitientur, & per mortem marcescant, quod idem est, ac dicere, quod posito peccato originali in primo parente, etiam posteri illud peccatum trahunt, & moriantur, sed certum est peccatum originale trahi in Conceptione, & Animatione, non antè, vel post, ergo cum Sanctus de Contractione peccati originalis loquatur, loquitur de Conceptione, non de Natiuitate ex vtero. Hinc Acernensis his verbis S.Maximi citatis concludit. *Clarè satis, & præseruationem Marianam, & præseruationis modum exemplis, ac verbis apertissimis adstruit.* Quod affertur ex Æthymologia, non vrget, tum quià ait S.Gregorius, & habetur extrà de Verborum signific. c. prætereà, *Plerumq; dum verborum proprietas attenditur, sensus veritatis amittitur,* tum quia æquè probat de Natiuitate, ac de Conceptione. Ecclesia idem officium recitat in Natiuitate, & in Conceptione solo mutato nomine Natiuitatis in nomen Conceptionis, & quia vtriq; festo verba prophetica applicantur ab Ecclesia, Glossa interlinealis dicit, loqui Prophetam de Natiuitate, non excludendo Conceptionem,

Trigesimo sextò opponitur. S. Ambrosius ad illa verba Psalm. 118. Quære seruum tuum ait. suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo, Virgo per gra-

tiam ab omni integra labe peccati, sed non potest verificari, Beatam Virginem esse incorruptam, & ab omni labe peccati integram; nisi asseratur immunis à labe peccati originalis, ergo. *At Sanctus mutilatur ex verbis antecedentibus ad relata in libello, ac proindè perperam intellectus, qui manifestè loquitur ibi non de B Virgine, sed de humanitate suscipienda per Incarnationem ex B. Virgine, quia sic dicit*, suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est, suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo; sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati, porta me in Cruce, quæ salutaris errantibus est; *Hæc ille. Vndè Vasq. 3. p. q. 27. art. 2. disp. 117. c. 2. n. 40. prædicta igitur verba, inquit, ego referrem ad carnem, quæ ex Adam lapsa est, & in qua dixit, Ambrosius ad Deum, suscipe me, & quare non per ministros, sed per te; hoc est, suscipe me; suscipiendo naturam humanam, quæ lapsa fuit in Adamo, subdit autem*; non ex Sara, sed ex Maria intacta, & Virgine, & ità Caro, quam ex illa sumpseris, & in qua me susceperis, sit Virgo incorrupta, *congruebat enim, vt Caro à Deo assumenda, quæ Virgo incorrupta futura erat, ex Virgine, non ex muliere corrupta, & tacta sumeretur. Hæc ille.*

Respondeo. Quod dato, & non concesso S. Ambrosium, hic loqui de carne Christi, non proindè sequitur textum S. Ambrosij fuisse à me mutilatum ex antecedentibus verbis, quia non ex illis deducit Vasq. ea verba esse intelligenda de carne Christi, Deindè nonnulli legunt, suscipe me non in Carne, quæ in Adam lapsa est, & *Tò, non*, esse abrasum ab Arpalego conqueritur Episcopus Plasentinus in suo Propugn. pag. 208. n. 257. vndè si particula, *non*, apponeretur, rueret explicatio Vasquez, & eorum, qui cum eo sentiunt; & quia maior pars Auctorum contradicit Vasquio, vt notat Acernensis c. 17. n. 13. his potius standum est, quam Vasquio soli; Verum quia Glossa Vasq. nullo modo potest subsistere, ideò obiectio facta non vrget, sic enim per ea verba, *vt incorrupta sit Virgo*, significaretur et Caro Christi,

& pariter sequentia, *sed Virgo per gratia ab omni integra labe peccati*, deberent intelligi de carne Christi, at Caro Christi nõ est libera ab omni labe peccati per gratiã, sed ex naturali modo suæ generationis, ergo Glossa Vasq. nullo modo potest subsistere.

Trigesimo septimò opponitur. *S.*Leo Papa serm. de Nat. Christi, ait. oportuit enim, vt primam Genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium diuina spiritus virtus infusa seruaret; sed seruatam esse primam integritatem, est esse præseruatam B. Virginem ab originali, ergo. *At vitiatus est S.Leo ab editione Parisiensi an.*1618. *dum Academia Parisiensis iurat Immaculatam: Verum in editione Veneta an.* 1505. *vt in nostra libraria, sic dicitur*, oportuit enim, vt primam Genitricis Virginitatem nascentis incorruptio custodiret; *ostendit S.Leo B. Mariam antè Partum Virginem, & talem seruatam à Christo nascente.*

Respondeo. Si non est credendum editioni Parisiensi, quia illa Academia iurat Immaculatam, neq; est credendum editioni Venetæ, quam dicis asseruari in vestra libraria, quia vos iuratis emaculatam. Verum verba *S.* Leonis Papæ, vt à me relata, inuenies p. 2. tom. 5. Bibliothecæ *SS.* PP. vbi dicitur, quod opera S. Leonis fuerunt per Canonicos Regulares *S.* Martini oppidi Vniuersitatis Louaniensis ex manuscriptis codicibus emendata, ergo factum argumentum nequicquam vrget. Deindè à perpetua, & perfecta Virginitate valere argumentum ad originalem iustitiam, & Innocentiam, dixi supra.

Trigesimo octauò opponitur. S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis ad illa verba Pauli 2. ad Corinth. 5. si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ait; omnes prorsus mortui sunt in peccato, nullo prorsus excepto, dempta Matre Dei, siue originalibus, siuè etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo, quod iustum est: *At illa Cõmentaria in Paulum, aliqui pu-*

tant esse D. Heruæi, inquit Vasq; 3.p. q. 27. art. 2. disp. 117. c. 11. nu. 131. Affirmat etiam Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ SS.PP. in edit. Parisien. an. 1544. sic dicitur; has enarrationes in epist. Pauli alij D.Heruæo tribuunt; Absolutè autem forte illas D. Heruæi ibidem ostendit Fr. Simon Fontanus Senonensis Minor in epist. Dedicatoria ad Archiepiscopum Niuernen. sint autem Heruæi, vel Anselmi, relatus Textus, vel est deprauatus per verba illa, dempta Matre Dei, *vt assuta, & supposititia, vel Christus non est mortuus pro B.Virgine, quia sic dicit, si* vnus Christus mortuus est pro omnibus, idest, vt omnes viuant, ergo necesse est fieri, quia omnes mortui sunt in anima per peccatum, quorum viuificatio quæsita est morte vnius, qui peccato solus carebat, nec mortis animæ particeps esse poterat; omnes ergo mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto dempta Matre Dei, sine originalibus &c. sequitur, & pro omnibus mortuis mortuus est vnus Christus, idest nullum habens omninò peccatum. Hæc ille; *ergo si vnus Christus mortuus est pro omnibus mortuis, sequitur, quod Christus non est mortuus pro B. Virgine, quod est falsum; vel si mortuus est pro omnibus ipsamet in illis omnibus inclusa; ergo B. Virgo mortua est in anima per peccatum non actuale; igitur originale, & consequenter exceptio illa Virginis est suppositititia contrà mentem Auctoris, & præterea est incompossibilis cùm exceptione illa; nemine prorsus excepto.*

Respondeo. Enarrationes illas, seù Commentaria in epist. Pauli haberi in editione Coloniensi anni 1572. in Catalogo operum D. Anselmi c. 2. & esse germanum partum D. Anselmi asserunt Episcopus Plasentinus in suo Propug. fol. 148. n. 195. Episcopus Acernensis in suo Tract. pro Immacul. Concept. c. 25. n. 3. Valentia tomo 4. disp. 2. q. 1. puncto 2. fol. 375. Sixtus Senensis in sua Biblioth. & maior pars Auctorum, quibus potius standum est, & credendum, quam duobus, vel tribus adductis ab Aduers. sed dato, & non concesso, quòd Commentaria illa sint D. Heruæi, vel vt alijs placet, sint D. Anselmi Laudanensis, quia hi sunt Sancti, &

Docti

Docti viri, verba citata in Discursu Theologico parem habent authoritatem, ac si essent D. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi. Eum textum esse deprauatum, quia hæc verba *dempta Matre Dei* sint assuta, & supposititia, sicut gratis dicitur, ità de facili negatur; nam morem, & malum vsum deprauandi textus SS. PP. Catharino teste domestico, & irrefragabili, esse Auctorum Affirmatiuæ suprà ostendi. Ad probationem præsumptæ deprauationis, responsio est in promptu; Christum Dominum esse mortuum pro B. Virgine, quæ, & ipsa fuit mortua in anima non actu, sed secundum debitum, quia incurrit debitum moriendi, quatenus incurrit debitum contrahendi originale, per quod actu contractum sicut homo non actù moritur corporaliter, sed incurrit debitum, & necessitatem moriendi ex D. Thoma, & Caietano 1. 2. q. 81. art. 3. ità B. Virgo sicut habuit debitum contrahendi originale, ità habuit debitum moriendi in anima, & speciali Dei gratia illi collata intuitu mortis Christi præseruata fuit, nè actu contraheret originale, & nè actu in anima moreretur, non ergò illa exceptio assuta, & supposititia est; neq; est incompossibilis cùm verbis antecedentibus, *nemine prorsus excepto*. Nil enim obstat, quo minus verba ista generalia, nemine prorsus excepto, restringantur per verba sequentia, & particularia, *dempta Matre Dei*. Aut si non possunt restringi, ergo neq; potest restringi vniuersalis illa S. Vincentij Ferrerij, de quâ supra n. 11. *B. Virgo nunquam peccauit*, per sequentia verba particularia, *quia nunquam peccauit nec mortaliter, nec venialiter*. Neque etiam potest restringi vniuersalis illa *B. Alberti Magni, B. Virgo fuit immunis ab omni labe vitiorum*. n. 16. per sequentia verba particularia, *quia nunquam peccauit nec mortaliter, nec venialiter*. Sed tam S. Vincentius, quam B. Albertus debent intelligi, vt exclušerint à B. Virgine, etiam originale, quod ipse constanter negas numero illo 11. & 16. Et quidem valdè probabile est, eam exceptionem, *dempta Matre Dei*, notanter, & ex industria appositam esse ab Anselmo,

quem

quem fuisse Assertorem præcipuum, & primipilarem Immaculatæ Conceptionis pluribus, & validè probat Franciscus Biuarius in aureo suo libello de SS. PP. vindicatis ab Affirmatiua.

Trigesimo nonò opponitur. S.Bernardus serm. 3. super Salue Regina ait. Turris es libani &c. *At sermo ille non est D.Bernardi, vt norunt Docti, & obseruauit Gilotius in edit. Parisiensi an. 1588. & postea Bellarm. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Sylnius 3.p.q.27.art.2. Possenïnus tom.1. Apparatus sacri vocat illum Bernardo adscriptum, nihil ergo vrget, quòd ex eodem Bernardo adducit Auctor libelli n.17.*

Respondeo. Eum sermonem reperiri non solum in editione Veneta an. 1568. sed etiam in editione Lugdunensi an 1538. quæ cum sit antiquior editione Parisiensi, quam adducit Gilotius, ipsi standum est, maxime per Te, qui vis editiones antiquiores esse probandas, Recentiores esse reyciendas, ità ais n.19. Et quidem ille sermo, tanquam germanus partus D.Bernardi affertur ab Episcopo Plasentino in suo Propugnaculo fol.131. n.172. ab Episcopo Acernen. in suo Tract.c.25.n.6 à Petro Canisio lib. 1. de B. Maria c.7. à Iodoco Coccio lib.3. Thes.Cath.art.1. à Petro Ojeda in Apologia pro Concept.c.14. ergo firmum remanet, eum sermonem esse D.Bernardi, quem stetisse pro Immaculata patet, tùm ex alijs locis eius operum communiter adductis ab Assertoribus Negatiuæ, tum quia Franciscus Biuarius in aureo suo libello cit. de SS. PP. vindicatis ab Affirmatiua, Ordinis, & instituti S.Bernardi, fusè probat S. Bernardum stetisse pro Negatiua peccati originalis in B.Virgine. At Biuario potius standum est, quam cuicunq; alij Doctori cuiuscunq; ordinis, & instituti; sicut enim Thomistæ, quia eiusdem Ordinis, ac fuit D. Thomas, & quia eius discipuli, volunt sibi credi circà eius intelligentiam, & assecutionem mentis S. Doctoris, ità circà intelligentiam, & assecutionem mentis S.Bernardi potius standum est Biuario eiusdem Ordinis, & discipulo, quàm cuicunq; alij extraneo.

Qua-

Quadragesimò opponitur. S. Antiochus hom. 21. nulli possibile est ad suæ virtutis fastigium peruenire, nisi præsidio iuuetur, & ergà Deum Caritatis, & animi de se quam modestissimè sentientis iuxtà testimonium Deiparæ omni laudum genere celeberrimæ, nulli obnoxiæ vitio &c. *sed Sanctus mutilatur ex antecedentibus verbis ad relata in libello, proindè perperam intellectus, qui manifestè ibi loquitur de Virginitate, quæ dictæ homiliæ est titulus; nec loquitur ibi Sanctus de tempore Conceptionis passiuæ B. Virginis, quia sic dicit;* ex quo tempore Dominus noster Iesus Christus Dei filius sua solius ergà nos benignitate ex vtero voluit sanctæ, & intemeratæ Deiparæ semper Virginis Mariæ suo ad nos aduentu inclarescere mundo &c. *Qui cum dicit,* nulli obnoxiæ vitio, *manifestè intendit de actuali, sicut B. Albertus suprà cum dicit. n. 77. B. Virgo fuit mundissima ab omni labe vitiorum, nunquam enim peccauit nec mortaliter, nec venialiter.*

Respondeo; Ex dictis iam à perpetua Virginitate validè inferri originalem Innocentiam, & sanctitatem attributam B. Virgini tempore Conceptionis actiuæ retrotrahendam esse ad tempus Conceptionis passiuæ, quando etiã erat Mater Dei, vt patet tùm ex verbis Chrysologi suprà citatis, tùm ex D. Antonino 1. p. Summæ tit. 15. c. 2. qui inter alias rationes, quas affert, cùr B. Virgo debeat dici Mater, præcipua est, quia dicitur Mater *Antiquitate*, quia ab initio, & antè sæcula fuit Mater Dei; Imò & Albertus Magnus in exposit. super missus est, & magnific. ad illud Aue Gratia plena Lucæ 1. ait. In salutatione Angelica abstinuisse *Angelum* à nomine Mariæ, quia nominis mysteria explicanda reseruauit, postquam Spiritus Sanctus in eam superuenisset, Quod autem ibi S. Antiochus loquatur de vitio actuali, cum dicat, *nulli vitio,* non nisi valdè inconsequenter ad sua principia affertur ab Aduers. qui vult illam Vniuersalem D. Anselmi, *nemine prorsus excepto,* non posse restringi per verba sequentia; *dempta Matre Dei.*

Quadragesimo primò opponitur: S. Bernardinus Senensis

in

in ferm. de Conceptione B. Mariæ Virginis ait; Tertia fuit sanctificatio naturalis (maternalis dicit Sanctus) & hæc remouet culpam originalem, & confert gratiam; hæc etiam remouet pronitatem ad peccandum tàm venialiter, quàm mortaliter, & hæc fuit in B. Virgine Mater Dei &c. vbi per *Tò* remouens culpam originalem, non intellexit S. Bernardinus, quod prius in B. Virgine fuerit originale, & deindè naturalis sanctificatio illud remouerit, quia tomo. 4. ferm. 49. apertè declarat, Christum, & B. Virginem non cecidisse in aliquo peccato, & ideò non esse inclusos in illa regula generali, inter natos mulierum non surrexit maior, nullus enim dicitur leuare se, seù surgere, qui non ceciderit. *At Sanctus Bernardinus est sole clarior pro sententia affirmatiua originalis in B. Virgine in serm. de Concept. B. Virginis, quem rogo legat Auctor libelli, manibusq; contrectabit, quod dico, Tò autem remouens culpam originalem, declaratione non indiget, vt patet consideranti, quid sit remouere. Quæ verò declaratio dicitur ex to. 49. apertè Christũ, & B. Virginẽ asserens non cecidisse in aliquo peccato, non est S. Bernardini, sed Bernardini de Bustis, qui ex relata regula inter natos &c. contendit probare, quod B. Virgo tanquam maior Ioanne Baptista non ceciderit in originale, quia nemo dicitur surgere, qui non ceciderit; Verum quam rudis, & insulsa sit Bernardini de* Bustis *argumentatio, euincitur ad hominem, etenim si nullus dicitur surgere, qui non ceciderit, ergo cum Deo dicimus surge Domine in requiem tuã ps. 131. & Math. 9. surgens Iesus, sequebatur eum, iam Deus, & Iesus ceciderunt in aliquod peccatum, quo nihil erronius. Item de B. Virgine canit* Ecclesia *illud Cant. 11. surge propera amica mea, at nemo surgit, qui non ceciderit ergo B. V. cecidit non in actuale, ergo in originale. Illud autem Matth. 11. inter natos mulierum explicatur Lucæ 7. dico enim vobis, maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est. En Lector amans veritatis, quomodo* S. Bernardinus *Senensis vitiatur, & præ modestia taceo alia indigniora.*

Respondeo. Parum referre in primis, quod Sanctus dicat,

cat, *naturalis*, seù maternalis, nam maternalis sanctificatio est debita B.Virgini, vt est Mater Dei naturalis, & vera, non fictitia, phantastica, vt volebat Marcio. Sermonem de Conceptione S.Bernardini, quem in Discursu adduxi, vtiq; non adduxissem, nisi vel hiscemet oculis legissem attentè, imò eo sermone refert S.Bernardinus celebrem illam S.Anselmi authoritatem pro Immaculata, Decens erat &c. Addo alijs etiam suorum operum locis pro Immaculata pronunciare, nam serm.6.de festiuitatibus B.M. Virginis, aliàs 52. feriæ 3.post Dominicam Oliuarum de salutatione Angelica. Dicit, B.Virginem fuisse sinè *væ*, idest, sinè tyranno concupiscentiæ peccati originalis, & illud Cantic. 4. Tota pulchra es, & macula non est in Te, intelligit de macula originali; Eccè quomodo inuenitur S. Bernardinus luce meridiana clariùs stare pro Immaculata; quod vel ipse Aduersarius etiam inuitus necesse est, fateatur, nam supra num. 27. ait pro affirmatiua stare antiquos Theologos, at S Bernardinus de modernis est, & post ortam Controuersiam; ergo. Quod *Tò* remouens, seù remouere non indigeat declaratione, ex eo conuincitur, non verè dici, quia aliàs S. Bernardinus sibi contradixisset, dum ex vna parte asserit, B. Virginem non cecidisse in aliquo peccato, & ex altera parte ponere videatur in illa originale per illum terminum, *remouens*, ergo iste terminus debet omninò explicari, & intelligi non de peccato, quod infuit, sed quod infui sset, vt supra diximus ex S. Bonauentura. Quod autem altera explicatio adducta ex serm. 49. non sit Sancti Bernardini, sed Bernardini de Bustis, non verè asseritur ab Aduers. quia illam legi in S.Bernardino Senensi, non in Bernardino de Bustis, apud quem fortassè etiam illa regula reperitur tam, quàm relata. An verò argumentatio Bernardini de Bustis rudis sit, & insulsa, patet ex ipsamet Aduersarij oppugnatione, quæ & longè rudior, & minimè ad propositum esse videtur: Probo sic; *Nemo dicitur surgere, qui non ceciderit*; hæc regula restricta est ad surgere, prouc est idem; ac nasci;

G alla-

allacæ igitur instantiæ de Deo surgente in requiem suam, de Iesu surgente, de B. Virgine surgente è terris, vt Cœlum conscenderet, non sunt ad propositum, sed aerem verberant, nota illud: Inter natos... Explicatio adducta ex Lucæ 7. ad Math. 11. facit pro me, quia dicitur, non surrexit maior Propheta, neq; enim dicitur maior Propheta, quia plura, aut maiora nunciauerit, nam omnis prophetia de Christo est, neq; est maior, idest, antiquior, ergo dicitur maior, idest, sanctior, quia Ioannes sanctificatus est in vtero, & probabile est caruisse veniali, quia de illo canit Ecclesia, nè leui saltem maculare vitam famine posset; En Lector amans veritatis, quomodo S. Bernardinus sit sincerè, fideliterq; relatus. Indigniora, quæ dicis præ modestia tacere; non habes, quæ in medium afferas, aliàs tacere minime posses, quando à Te Pontificiæ Bullæ obtinere non potuerunt, vt taceres. Taceo ego, & alto silentio prætereo blasphemias horrendas, quas in Sanctum Franciscum Assisinatem à toto orbe Christiano adoratum, vel ipsis Christiani nominis hostibus, Turcis vel ipsis venerabilem, à S. Patre Dominico reueritum congerit Bandellus tuus postrema sui Recollectorij Parte. Postremò in laudem Bernardini de Bustis, id solum mihi liceat, hic commemorare, quod solus, & vnus ipse tot inter egregios Negatiuæ defensores longè antè, & præuiderit, & prædixerit silentium impositum affirmatiuæ à Summis Pontificibus serm. 9. de Concept. in Proæmio.

Quadragesimo secundò opponitur. S. Augustinus serm. 20. ad Fratres de Eremo. Quia verò à corruptione liberandum erat, quia remedium, idcircò pretium redemptionis incorruptum esse debebat, propterea Maria Mater electa est, & super omnes creaturas prælecta, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute, & gratia in vtero repleta, vt de mundissima Matre mundissimus filius nasceretur, & sicut filius habuit in Cœlo Patrem immortalem, & æternum, sic in terra haberet Matrem omni corruptione carentem, ergo à Sanctissimo Augustino terq; quaterq; B. Virgo Maria immunis

munis prædicatur à peccato originali in breui clausula verborum. *Verum illata consequentiæ Auctoris libelli valdè infirmant ex Augustino sententiam negantem originale in B.V. quæ carere dicitur omni corruptione, quia Virgo antè partum, Virgo post partum, vt supra dixi ex S.Petro Damiano. Dicitur mundissima, quia ab originali mundata Prouerb.25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur Vas purissimum. Vidi Romæ in Ecclesia S.Mariæ Transtyberim antiquam picturam Sanctæ Annæ parturientis B.Virginem cum his versibus.*

Humani Generis sator, qui & parcere lapsis
Instituis maculas veteris rubiginis aufer
Argento thalamus tibi sit, quo Virgo refulgens.

Dicitur in vtero repleta omni gratia, quia post animationem fuit sanctificata in vtero ab originali. Nec valet, ergo habuit gratiam præseruatiuam, aliàs non fuisset omni gratia repleta; Dicam & ego, ergo habuit gratiam sanctificatiuam de Spiritu Sancto, aliàs non omni gratia fuisset repleta, quod est erroneum; potuisse autem Virginem concipi de Spiritu Sancto, quis negat, nisi qui Dei omnipotentiam ait finitam? Dicitur ergo plena gratia, quia ex S.Thoma 3.p.q.7.art.10.ad primum,& Caietanus ibidem, habuit omnem gratiam, quæ Matrem Dei decet. D.Augustino non defuerunt verba ad excipiendam B.Virginem ab originali, sicut excepit illam ab actualibus, vt supra ex S.Antonino nu. 93.

Respondeo, vel ad fastidium vsq; me sæpè monuisse, ex perpetua Virginitate B.Virginis optimè deduci eius originalem Innocentiam,& quia Augustinus vniuersaliter loquitur de omni corruptione, non est cur Aduersarius, eam restringat ad incorruptionem Virginalem, nam non nisi inconsequenter ad sua principia, & ad obiecta hic ab ipso, vniuersaliter dicta restringuntur; neq; enim S. Augustinus hic addit, incorrupta post partum, vt relatum est supra ex S.Petro Damiano, non ergo infirmatur, sed roboratur ex verbis S.Augustini Negatiua, vt eius Defensores, vel in scriptis confessi sunt, & mihi gratias pro edito Discursu

retulere quam maximas, & immortales; Deindè de B. Virgo dicitur mundissima in eo sensu, & non in alio, quo dicitur mundissimus filius; aliàs D. Augustinus in breuissima semiclausula verborum æquiuocasset, sed filius non dicitur mundissimus, id est, mundatus ab originali, ergo neq; Mater debet dici mundissima, id est, mundata ab originali; Vnde neq; quod affertur ex inscriptione illa B. Annæ facta ab aliquo senciente pro Affirmatiua, neq; quod affertur ex prouerb. c. 25. aliquid habet roboris, & energiæ, addito præsertim, quod vbi vulgata habet, aufer rubiginem de argento, & erit Vas purissimum, lectio secundum 70. Sixti V. authoritate edita habet, percute argentum improbatum, & mundabitur mundum totum. Ità Glossa. Denique non sufficit, vt fuerit sanctificata post animationem, vt dicatur omni gratia repleta, aliàs etiam S. Ioannes Baptista, & Hieremias dicerentur repleti omni gratia, quia fuerunt in vtero sanctificati, non enim potest certò designari, aut determinari præcisum instans, quo fuerint sanctificati: ergo.

Quòd si dicatur repleta omni gratia, quia habuit omnem gratiam, quæ decet Matrem Dei, vt docent S. Thomas, & Caietanus loco cit. ab Aduers. ergo habuit gratiam præseruatiuam, quæ maximè decet Matrem Dei, vt pluribus, & validè probatur ab Assertoribus Negatiuæ, Illa consequentia, ergo B. Virgo concepta fuit de Spiritu Sancto, ex eo conuincitur apertè, & notoriè deduci, & falsò, & irrationabiliter, quia de facto constat, & Ecclesia tenet, B. Virginem habuisse parentes Ioachim, & Annam, quomodo ergo potetit à viro mediocriter docto, tale confici argumentum: habuit omnem gratiam, ergo habuit gratiam sanctificationem de Spiritu Sancto? Non defuisse D. Augustino verba ad eximendam Virginem ab originali, fateor; nam plura eius loca, & verba adducuntur hoc ipsum contestantia: Illud in primis ex lib. de Natura, & Gratia contrà Pelag. c. 36. excepta igitur Beata Virgine &c. quæ omninò debent intelligi de originali, sicut ea intellexit S. Bernardus loco

cit.

cit. nu. 12. quidquid in contrarium dicat S. Antoninus, quia ea verba non possunt intelligi de peccato actuali, quia aliàs D. Augustinus consensisset tandem aliquando post pugnam 10. annorum cùm Pelagianis, qui omnes Sacræ Scripturæ textus, & SS. PP. aucthoritates adductas ab Augustino contrà illos, ad probandum originale, intelligebant, & explicabant de peccato actuali, illud præsertim, *omnes in Adam peccauerunt, peccatum transijt in omnes*, toties ab Augustino contrà illos inculcatum, vt testatur D. Thomas in explic. epist. S. Pauli ad Rom. ad illa verba, peccatum transijt in omnes.

Quadragesimo tertiò opponitur. S. Petrus Damianus serm. de Assumpt. B. Virgo maculas Adæ non admisit, sed non admisisse Adæ maculas est formalissimè, non admisisse peccatum originale, quod esse Adæ maculam, nemo est, qui queat inficiari, ergo. *At Sanctus mutilatur ex verbis antecedentibus ad relata in libello, proindè perperam intellectus; qui manifestè ibi non de originali macula loquitur, sed de maculis, quæ puritati, & integritati Continentiæ aduersantur, cuiusmodi videntur esse immunditiæ tentationum; quod clarissimum fit ex duobus, (inquit Cardinalis de Turrecremata p. 12. c. 11.) primò ex ipsa ratione vocabuli, cùm dicitur, non admisit, admittere enim, assumptionem dicit voluntariam, illud enim, quod originale habemus, non dicimur admittere, sed contrahere. Secundò patet ex hoc, quod B. Petrus, vbi præmittit illa verba, sequitur de eius conuersatione, sic dicens; Quæ est ista, quæ ascendit, sicut virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ, & Thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij*, & infrà; *in Myrrha continentiam; in Thure deuotionem intellige, Caro enim Virginis &c. Hæc Damianus, ex quibus verbis, ex eo quod ad puritatem continentiæ intentionem suam resoluit, patet, quod dictum Damiani nihil iuuamenti præstat aduersæ parti ad propositum Conceptionis. Hæc Turrecremata.*

Respondeo. Quod si Damianus loqueretur de immunditijs tentationum, loqueretur vtiq; de peccatis actualibus,

atq;

atq, adeò per Adæ maculas, actualia peccata intelligeret, at hoc non potest dici, aliàs consentiret Damianus cùm Pelagianis, qui per Adæ maculam peccata actualia intelligebant, quæ trahebãt Posteri ab Adã per imitationem, nõ per propagationem, vt suprà dixi ex *S*.Thoma, ergo S.Damianus per Adæ maculas non potest intelligere, nisi originale, vt dicitur in Discursu. Neq; vrget proprietas vocabuli admittere, & contrahere, cum quia etiam originale habet aliquid voluntarij, aliàs non esset peccatum, tùm quia licet regulariter admittere dicatur de voluntarijs, sicut etiã facere peccatum, tamen sicut facere dicitur interdum de originali 1.Petri 1 cùm sermo est de Christo Domino, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, ità & admittere, quãuis regulariter dicatur de actuali, nil prohibet, quò minus possit etiam applicari originali, imò ex Salazar in suo Defensorio c. 142. fol.396. *Tò* non admisit, non solum significat Adæ maculas à Virgine Dei beneficio esse prohibitas, quibus alioquin infici deberet, sed in ipsa ius aliquod sonant, ratione cuius exempta fuerit. Deindè ex carentia actualium, quæ aliquis adultus non admittit, benè argui infantilis ætatis exortu caruisse originali, diximus supra ex regula Sancti Augustini lib.5.contrà Iulianum c.9.

Quadragesimo quartò opponitur. S. Cyprianus Episcopus orat.de Christi Natiuit. ait. In B. Virgine incendium originale extinctum est; & ibidem probat eam cùm alijs communicare natura, non culpa, à communibus iniurijs fuisse immunem. *At sermo ille non est Cypriani, inquit Syluius 3.p. q. 27. art.2. sed alterius Auctoris apud Cyprianum, inquit Vasq.3.p.d.117.c.3.n.33. Sanctus verò Cyprianus teste D.Augustino lib.2.contra Iulianum c.10. solius Christi propugnat Immunitatem ab originali.*

Respondeo. Eum sermonem tamquam Cypriani recipi à quamplurimis Negatiuæ sententiæ Defensoribus, à Doctoribus Parisiensibus in Glossa ordinaria ad Rom. 5. à Baronio

nio an. Domini 261.n.46. ab Episcopo Acernens.c.16. fol. 208.n 5, à Salazario in suo Defens.c.142.fol.394. imò & à Defensoribus Affirmatiuæ, qui tamen volunt Cyprianum loqui de tempore Conceptionis actiuæ; quod benè, & eruditè refellit Acernen. vbi supra; sed siuè sit Cypriani, siuè alterius viri Docti, & Sancti, qui floruerit tempore Cypriani, adducta verba eandem habent auchoritatem, & pondus. Neq; vrget, quod D. Cyprianus teste D. Augustino solius Christi propugnauerit immunitatem ab originali, nàm immunitas, quæ solius est Christi, est immunitas petita ex vi, & modo naturalis generationis sine viri semine, at immunitas B.Virginis ab originali est immunitas ex speciali gratia, & priuilegio.

Quadragesimo quintò opponitur S.Epiphanius serm.de laudibus B.M.Virginis ait. Iuuenca est, quæ iugum nunquã experta est, quæ genuit vitulum, idest, Christum. Ouis est Immaculata, quæ genuit Agnum Christum &c. sed B.Virginem esse iuuencam, quæ nunquam sit iugum experta, significat B.Virginem nunquam contraxisse peccatum originale, ergo. *At Sanctus non loquitur ibi de tempore Conceptionis passiuæ B.Virginis, quo tempore fuit filia Adæ, sed de tempore Conceptus, & partus Christi, prout fuit Mater Dei, semper Virgo, nunquam sub iugo, seù viri potestate, vndè sic dicit Sanctus, Deipara existis, quæ sola solius Dei vnigenitum filium genuisti; ouis immaculata; quæ peperit Agnum Christum.*

Respondeo: Verba Epiphanij pro Immaculata Conceptione afferunt Salazar in suo Defens.c.142.fol.398. Episcopus Acernen. in suo Tract. c.17. n.15. & quidem altè retinendum est, quod supra dixi, priuilegia attributa B.Virgini tempore Cóceptionis actiuæ retrotrahenda esse ad tempus Conceptionis passiuæ, quo etiam tempore fuit Mater Dei, quamuis simul *Adæ* filia, vt supra vidimus ex S.Petro Chrysologo, & ex S.Antonino. Quod neq; potest ab *Aduersario* inficiari, qui B. Virgini concedit sanctificationem in vtero, atq; adeò antè Conceptionem actiuam, & ex cõ-

muni.

muni omnium sensu etiam in Natiuitate conceditur illi immunitas ab originali, non alio titulo, quia & in vtero, & dum nascebatur, erat Mater Dei. Addo quod ex perpetua Virginitate validè infertur Innocentia originalis ex Authoritate S. Augustini, & Thomæ.

Quadragesimo Sextò opponitur B. Amedeus Lausanensis Episcopus hom.7.de Laudibus B.Mariæ Virg. vbi loquens de supernis ciuibus B. Mariam in Cœlorum sublimia excipientibus, ait; mirantur illi animam meriti singularis exutam æterna labe nullam carnis, aut sæculi maculam habere, mirantur exutam artubus gratia totius puritatis candere, sed B. Virginem fuisse exutam æterna labe, est caruisse peccato originali, sicuti nullam carnis habuisse maculam, est caruisse peccato actuali, ergò. *At Sanctus mutilatur ex verbis immediatè sequentibus ad relata in libello, proindè perperam intellectus, qui manifestè; quid Angeli laudent ibi, quid ve Dominus ipse prædicet de B Virgine, explicat; quia sic dicit, quid enim primum laudent in ea integritatem, an humilitatem; Prudentiam an Caritatem; robur mentis, an longanimitatem; honorem Matris, an Partus Natiuitatem? sed virtus integra, & plena gratia magis in illa laudatur. Vndè Dominus assistens egressæ de corpore, ità prædicat laudes eius. Tota pulchra es Mater mea, & macula non est in Te tota, ait, pulchra es, pulchra in cogitatu, pulchra in verbo, pulchra in actu, pulchra ab ortu, vsq; ad finem, pulchra in conceptu Virgineo, pulchra in partu Diuino pulchra in rubore passionis meæ, pulchra in insigni candore resurrectionis; Hæc ille. Quid de Conceptione passiua Virginis? nihil pulchri laudari à Domino refert.*

Respondeo: in primis B. Amedeum notabiliter ab Aduersa. detruncari; & mutilari ex antecedentibus verbis ad relata in obiectione; nam sic dicit B. Amedeus immediatè anteà; *Hæc morte gloriosa migrauit, si transitum ad vitam, mortem liceat nominare; Imò vt verum fatear vita est, vbi sola mors moritur, vbi corpus mortis exuitur, vbi vita carnis pia quietè defuncta, fænore multiplici in posterum reseruatur. An* non

non vita, tum itur ad fontem vitæ, & vita æterna, à vita perpeti meatu hauritur. Hoc haustu indefectiuo antè decessum præuenta est Mater Virgo, nè transitu in ipso, vel leuissimo mortis gustu tangeretur; egrediens itaq; vidit vitam, nè mortem videret; vidit filium, nè carnis abscessu doleret: Euadens ergo libera in tam fælicissima visione, & potita optato vultu Dei, venerandos ciues Cæli in sui obsequio, & deductione paratos inuenit. Mirantur &c. ex quibus verbis antecedentibus ad relata, quia B. Virgo eximitur à lege mortis cum dolore, quæ est pœna peccati originalis, exempta quoq; denotatur à peccato, & culpa originali per B. Amadeum.

Quod si dicas: Non teneri te ad referenda antecedentia hæc verba, quia alioquin integram columnam, aut paginam teneretur quis adducere, dum Sancti, aut Doctoris, alicuius mens est referenda. Hoc ipsum est, quod ego teneor, & possum meritò respondere contrà te, qui toties inculcas à me defloratos, & mutilatos SS.PP. adduxisse, quia integras eorum paginas, aut columnas non adduxi. Quid? quod in verbis ab Aduers. relatis semel, & iterum Immaculata Conceptio commendatur, & Aduersarius dissimulat intelligere, vt benè arguat; nam & B. Virginem fore plenam gratia, & totam esse pulchram, importare Immaculatam eius Conceptionem, docent omnes tenentes Negatiuam; nã esse gratia plenam, denotare, Virginem caruisse originali, docet Bellarm. in Doctrina Christiana à Pueris addiscenda ex mandato Clementis Papæ VIII. & totam esse pulchram, quia caret originali, habetur in officio Conceptionis concesso PP. Franciscanis à Pio Papa V.

Quadragesimo septimò opponitur: *S. Thomas* in 1. d. 44. art. 3. ad 3. ait: Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, & nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit Puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit, fuit autem sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. *At si*

Auctor libelli, attendisset mentem S. Thomæ loco cit. quæ est pro tempore Conceptionis actiuæ B. Virginis, vt constat ex articuli tit. & argumento 3. procul dubio S. Thomam non recensuisset pro opinione Negatiua, vt aduertunt Cardinalis Caietanus in opusculo de Concept. B. M. Virginis c. 4 §. cum igitur, & Cardinalis de Turrecremata p. 12. c. 13. Aud. at tamen Bartholomæũ de Spina S. Ap. Palatij Magistrum tract. de Vniuers. Hum. Gen. Corrupt. p. 6 c. 5. Inducunt, aientem *S. Thomam in 1. d. 44. q. vnica art. 3. B. Virgo fuit immunis à peccato originali, & à peccato actuali; super quo verbo miseri garrientes fecerunt magnum festum, ad quod in luctum conuertendum dicitur, quod immunis secundum proprietatem vocabuli, & secundum Canonistas significat liberum ab onere; vndè immunis à peccato est ille, qui est liberatus à peccato, vel quod habuit, vel quod natus est habere, non enim lapis dicitur à peccato immunis; habet autem omnis homo, dum concipitur, duplex onus peccati, maculæ, inquam, & fomitis; & quia B. Virgo fuit à macula in vtero liberata, ideò dicit S. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. quod in suo ortu fuit immunis à peccato originali, quia videlicet fuit liberata à macula, sed quia non erat totaliter liberata à fomite, non fuit tunc immunis omninò à peccato originali, quantum ad suum effectum, sed hoc munus obtinuit in Conceptione Christi, quando facta est Mater Dei, & quia D. Thomas in loco allegato loquebatur de B. Virgine, in quantum ex hoc erat Mater Dei, habebat dignitatis infinitatem, & non potest quò ad hoc fieri à Deo aliquid dignius, ideò dicens, quod fuerit immunis ab omni peccato, loquebatur de ea pro tempore, quo erat Mater Dei &c. Quare S. Thomas in 3. d. 3. q. 1. art. 2. Respondeo, inquit, quod duplex est sanctificatio B. V. prima, qua in vtero sanctificata fuit, secunda in Conceptione Saluatoris; in prima secundũ quod communiter ab omnibus tenetur à peccato originali quantum ad maculam, & reatum purgata fuit. In secunda verò sanctificatione essentialiter illi fomes subtractus est. Hæc ille, cui valdè conformem videbit Spinam Aucthor libelli.*

Respondeo. Neq; ex titulo Articuli, neq; ex argumento

tertio colligi vllo modo D. Thomam loqui pro tempore Conceptionis actiuæ, nam titulus Articuli est, *an Deus possit facere rem meliorem humanitate Christi*; Argumentum tertium probat, *quod neq; B. Virgine possit fieri aliquid melius, quia est præparata in Matrem Christi*, an ergo ex tali titulo, an ex tali argumento possit colligi, S. Thomam loqui pro tempore conceptionis actiuæ, iudicent viri docti, neq; enim pro tempore Conceptionis actiuæ est præparata Mater, sed ab æterno, vt S. Chrysologus, & Antoninus apertè fatentur, & omnes scholæ Theologicæ pro indubitato supponũt. Sed dato, & non concesso, quod D. Thomas pro tali tempore loquatur, tale Priuilegium Immunitatis ab originali retrotrahendum esse ad tempus Conceptionis passiuæ, suprà sæpius probaui; quod & cõfirmo ex authoritate Sãcti Doctoris, qui non solum cit. loco tribuit B. Virgini Immunitatem ab originali, sed etiam immunitatem ab actuali; at quis dicat, B. Virginem fuisse immunem à peccato actuali tempore Conceptionis passiuæ tantum? Deindè audi, quam acriter impugnet, imò & mordeat Catharinus Bartholomæum illum de Spina, quem tã magni facis, tàm gloriosè adducis, & cuius verba tanquam Apollinis Pythij oracula reuereris. Nam in tract. pro Immaculata Concept. ad Synodum Tridentinã p. 2. versus finem ad cõplementum cuiusdam grauis in eum Inuectiuæ ait. *Isti Spinæ sibi meritò hæc accersierunt, qui suis illis virulentis aculeis, & punctionibus, quæq; speciosa, ac pretiosa (quod in eis fuit) fœdarunt, & lacerarunt, profectò adhùc longe duriora, quàm stylo paulo acriore retundi merebantur, quid enim ab istis Spinis enormi potuit ijs fœdius, quæ in præfatione ex illorum scriptis produximus &c. & paulò ante. Quid poterat dici ab istis Spinis atrocius, quid inopinabilius?*

Sed in praxi videamus quanti valeat Bartholomæus in ijs, quæ ex ipso hic obijciuntur. Ais primò, illum in tractatu de Generali Hum. Generis Corrupt. asserere, proprietatem vocabuli, *Immunis*, petendam esse à Canonistis; at in

Tractatu de Veritate Conceptionis sub nomine Cardinalis de Turrecremata, proprietatem eius vocabuli afferit idem Spina petendam esse à Grammaticis: sed siuè à Grammaticis, siuè à Canonistis eius vocabuli proprietas petatur, nequicquam sibi proficit Bartholomæus; nam si Grammaticos, & probatos latinæ linguæ Aucthores consulamus inueniemus immune idem esse, ac nunqam onus subijsse. Idà Ouid. 5. Metham. Nullum passa iugum, cutuiq; immunis aratri; & Virgilius libro 5. Æneidos. Aspicit Vrbem Immunem tanti Belli, atq; impunè quietam. Apud Horatium idem est immune, ac innoxium. Lib. 3. ode 23. Immunis aram si terigit manus. Si verò Canonistas consulamus; immunis est, qui liber est ab onere, vel quod habuit, vel quod habere potuit; fatetur Spina, cùm ergo B. Virgo licet non habuerit, habere potuerit originale; quia habuit debitum, illud contrahendi, ideò vocabuli proprietas nequicquam officit Immaculatæ Conceptioni; Præterea phrasi communi Scholæ, & per Aduers. num. 44. Christus Dominus dicitur immunis à peccato originali, & tamen illud nec habuit, nec habere potuit; Verum si Spina Calepinum consuluisset, inuenisset, immunem illum dici, qui est liber ab officio, vel ab onere publico, quod vel ætate, vel aliquo priuilegio præstare non tenetur. Cicero orat. 5. in Verrem, atq; adeò immunem idem esse, ac priuilegiatum; Si ergo per D. Thomam B. Virgo est immunis ab originali, vtiq; ratione alicuius Priuilegij ab originali libera est, & exempta.

19 Ais secundò, Bartholomæum de Spina in Tract. de Generali Corrupt. Hum. generis asserere, D. Thomam loqui de B. Virgine pro tempore Conceptionis actiuæ. At in tract. de Verit. Conceptionis sub nomine Turrecrematæ dicit, S. Thomam ibi loqui pro tempore sanctificationis in vtero, tunc enim fuit immunis, idest mundata, & purgata ab originali, quod etiam ipse confirmas, adducens alia verba, quæ habet S. Thomas in 3. d. 3. q. 1. art. 2. in corpore. Ea quo-

quomodo Spina sibi non consonus nititur firmi, & solidi, quo pedem figat, & ideo omninò ruit; quod adducit ad conuertendum in luctum illud gaudium, & solemne illud festum celeberrimum, quod non miseri garrientes, sed *Beatissimi*, & fœlicissimi illi Patriæ cœlestis ciues, & Angeli, teste S. Vincentio Ferrerio serm. 2. de Nat. *B.* Virginis; prius fecerunt; deinde Sanctissimi, ac *Beatissimi* Patres Græci, & Latini celebrarunt, cumq; festum hoc à Summis Pontificibus fuerit approbatum, indulgentijs cumulatum, & ab Vniuersa Ecclesia acceptatum; haud vllo vnquam tempore defuturum, aut in luctum conuertendum, quis dicet, quis credet, nisi planè desipuerit? Denique quod affertur ex 3. Thom. l. art. 2. nil officit argumento Discursus, quia ibi D. Thomas non solum dicit, fuisse in prima sanctificatione ablatum originale quò ad culpam, seu maculam, & reatum, sed etiam quò ad fomitem, non quidem subortatum, sed ligatum, & ideo in B. Virgine etiam secundum primam sanctificationem remansit solum potentia ad peccandum, atq; adeò omninò immunis ab originali superior omni Creatura, & Deo inferior solum quò ad potentiam peccandi; An verò illa prima sanctificatio fuerit in instanti animationis, an post animationem, quod est punctum Controuersiæ præsentis, S. Thomas non meminit, quia suo tempore talis Controuersia non erat adinuenta, vt benè notat Caietanus 3. p. q. 27. art. 2.

Quadragesimo octauò opponitur *Beatus Idiota, de quo Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis anni 644. Floruisse, ego, inquit, in prima editione sequutus aliorum iudicium posui hunc Auctorem ad initium anni 900. sed posteà legens diligentiùs eius scripta animaduerti, illum esse multò posteriorem, nam in Proœmio libelli de B. Virgine citat verba S. Bernardi ex serm. 2. super missus est, vbi c. 2. & 6. disputat de Conceptione Immaculata B. Mariæ Virginis, quæ quæstio post Scoti tempora maximè inualuit. Hæc ille.*

Respondeo. In Bibliotheca SS. PP. tomo 10. qui corre-

dſpondet ſæculo 10. me inueniſſe verba citata Idiotæ, vbi dicitur, eum floruiſſe anno Domini 902. ex Bellarmino, non anno 900. Quare ſecunda impreſſio Pariſienſis, quæ ab Aduerſ. dicitur eſſe anni 1644 (& reperitur eſſe anni 1630. in Bibliotheca Collegij Neapolitani Societatis Ieſu) quia fuit poſt obitum Bellarmini, qui contigit anno Domini 1621. ex Alegambe de ſcriptoribus Societatis Ieſu, mihi valdè dubia redditur; ſed eſtò ſit Bellarmini; quid indè? Aduerſarius in primis truncatè affert verba Bellarmini, qui in ea editione ſecunda Pariſienſi, dicit, quod ignoratur, quo tempore Idiota floruerit, & poſteà addit, illum fuiſſe longè poſteriorem, ſed ibidem illum enumerat inter ſcriptores an. 1305 ex quibus patet, adhùc benè ſtare, Idiotam fuiſſe antiquiſſimum, atq; adeò vel antè ortam Controuerſiam, vel ſimul cùm naſcente Controuerſia floruiſſe.

Quadrageſimo nonò opponitur: *Mitto prætereà Ioannem Rophenſem Cardinalem, S. Thomam de Villanoua, & Caſimirum Iagellonum Principem Poloniæ, quippe non antiquos Patres multis ſeculis antè ortam Controuerſiam, prout Auctor libelli n. 113. tales ſolummodo à ſe adductos dicit. B. autem Laurentio Iuſtiniano, qui floruit anno 1440. tempore Concilij Baſilienſis Conceptioni Immaculatæ fauenti n. 16. 37. & 70. obijcio eiuſdē teſtimonia contraria c. 12. faſciculi Amoris lib. de Humilit. c. 7. & lib. de Dei obed. c. 24.*

Reſpondeo. Duos, vel tres SS.PP. relatiuè, & comparatiuè ad 38. quos adduco in Diſcurſu meo Theologico paucos eſſe: & ſi verum eſt, quod parum pro nihilo reputatur, ità quoq; veriſſimum eſt, paucos pro nullis reputari, & ità planum eſt, maiorem partem Auchorum, quos adduxi, eſſe ex Antiquis, qui antè ortam Controuerſiam floruerunt. Deindè ideò à me dici, Antiquos ſolummodo relatos, vt oſtenderem teſtes à me adductos, vacuos eſſe paſſione, aut odio; à ſtudio partium alienos, non alicuius gratia, aut fauore fuiſſe permotos, vt ſtarent pro Immaculata, atq; hoc de Sanctiſſimis viris Thoma Villanouano, Caſimiro Ca-

nonis

nonizatis, & Ioanne Ropheose Martyre, notorie, & publibili a fama sanctissimo; nephas est suspicari, ideò nil mirum, si fuerint inter antiquos enumerati, ac recensiti. Vidi alia loca B. Laur. Iustin. quæ Aduers. obijcit, tanquam contraria. At illa verè esse contraria Doctrinæ, quam ex eodem adduxi in Discursu, quis audeat affirmare, nisi qui velit sanctissimum iuxta, ac sapientissimum virum de incongruentia, & contrarietate Doctrinæ carpere, & sugillare? Bellè facient Hæretici doctrinam SS. PP. si nouerint, à Catholicis eos argui contrarietatis Doctrinæ, & inconstantiæ.

Quinquagesimò opponitur. *Mitto etiam Sanctæ Brigittæ Reuelationes; tùm quia pars aduersa suppressit Cardinalis de Turrecremata explicationes, & defensiones pro illis, quarum intuitu dictæ Reuelationes fuerunt à Concilio Basilien. alijsq; Summis Pontificibus approbatæ; tùm quia Gregorius XV. P. M. in Breui ad Philippum IV. Regem Catholicum sic dicit;* Non dum æterna sapientia Ecclesiæ suæ tàti mysterij penetralia patefecit; *Igitur à fortiori nec B. Brigittæ tantum mysterium fuit reuelatum; quoniam maiorem fidem tenemur præstare Summo Pontifici Vicario Christi, quam particulari Sanctæ.*

Respondeo. In tomo Reuelationum Sanctæ Brigittæ, quem habeo præ manibus, editionis Romanæ an. 1606. reperiri explicationes, & Defensiones Ioannis Cardinalis de Turrecremata; quo igitur fundamento dicat Aduers. fuisse suppressas à parte aduersa, iudicent viri docti. Verba Gregorij XV. non pugnant cùm reuelatione facta de hoc mysterio Sanctæ Brigittæ, S. Elisabethæ, & alijs Sanctis fæminis, de quibus Armamentarium Seraphicum, & Bernardinus de Bustis serm. 8. p. 3. nam aliud est, non patefecisse Ecclesiæ suæ, aliud est, non patefecisse alicui sanctæ fæminæ; aliud est, non patefecisse penetralia, & secreta omnia, omnia arcana annexa, & connexa cùm hoc mysterio, aliud est, hoc mysteriū, vt cūq; Deū non reuelasse; aliud est non patefecisse explicitè, aliud est implicitè, & æquiualenter in Scripturis, traditionibus, & SS. Patribus non contineri.

a 3 Quin-

Quinquagesimo primo opponitur. *Mitto adhuc PP. relatos in Menæis Græcorum; quia eorum exemplaria impressa acquirere non potui; nihilominus si eorum dicta in libello accuratè perpendantur, ferè nihil explicitè in illis pro Conceptione passiua B. Virginis inuenitur, quod facilè non explicetur.*

Respondeo. Me iam initio Discursus mei monuisse, non omnia SS. PP. testimonia adducturum, quæ essent explicitè, & in terminis formalibus pro Immaculata, sed quædam implicitè, & æquiualenter, quædam explicitè. Nihil ergo vrget, quod Aduers. obijcit, nihil explicitè inueniri in Menæis Græcis pro Immaculata. Sufficit enim si inueniantur æquiualenter, & per bonas consequentias deducta argumenta quamplurima.

Quinquagesimo secundò opponitur: *Doleo tandem legisse n. 120. Opinionem affirmatiuam originalis in B. Virgine pungi, vt hæresim in laxiori significatu, à viro tamen docto, & pio, & n. 121. describi, vt hostes B. Virginis Auctores mundatæ Conceptionis contrà tot Pontificias Bullas, quibus sancitur, ne aliquo modo tangant affirmatiuam opinionem, qui negatiuam propugnant.*

Respondeo. Non possum non valdè mirari, quod Aduersarius doleat, & conqueratur pungi à me affirmatiuam, vt hæresim in laxiori significatu; quid est hæresis in laxiori significatu? Consulamus Calepinum, inueniemus, hæresim in laxiori significatu, nihil aliud importare, quam opinionem? Doles igitur, Affirmatiuam à me appellari opinionem, quomodo ipse eam appellas, quomodo vis vocari, Doce? & discam à tanto Doctore libentissimè. Quid? quod Pontificiæ Bullæ opinionem affirmatiuam, seù opinionem contrariam, passim appellant. Auctores mundatæ Conceptionis, hostes B. V. à me appellari, immeritò conquereris. Refero plures *Auctores*, qui dicunt Scotum pro Immaculata Conceptione pugnaturum, solitum fuisse *B. Virginem* illis verbis apprecari.

Dignare me, laudare Te Virgo sacrata

Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ac horum hostium nomine venire Auctores mundatæ Conceptionis, nec ego dico, neq; Scotus, neq; Auctores, qui Scotum referunt, affirmant. Hostes sunt Hæretici Albigenses, qui B. Virginem peccatricem blasphemabant; hostes sunt Lutherus, Sarcenius, & alij Catholicæ fidei pestes, quos Scotus præueniens simul, ac Immaculatam Conceptionem defendit, impugnat.

Quinquagesimo tertiò opponitur. *Tenebatur Auctor libelli inscriptionem sepulchri Scoti dimittere*, melius latinè dixisses omittere *sicut & illam de Statua Virginis caput Scoto inclinantis ad vitandum ea, quæ scandalum possunt parere apud legentes libellum.*

Respondeo. Quod cùm inscriptio illa ad Scoti sepulchrum maximè conducat ad probandum; apertè Scotum, & sinè vlla formidine stetisse pro negatiua, non pro affirmatiua, pro qua illum citant Bandellus in Recollectorio, & Caiet. in opusculo, inscriptio illa non erat omittenda; sicut neq; enarratio illa de Statua B. Virginis caput Scoto inclinantis, cum indè colligatur B. Virgini magis acceptam esse negatiuam, quàm affirmatiuam; qua in narratione si aliquis est error, non mihi Auctores referenti, sed ipsis Auctoribus est imputandus, qui factum referunt; & quidem scandala oriri in Populo Christiano ex assertione affirmatiuæ, non ex probationibus negatiuæ, habes apud Greg. XV. in Bulla Sanctissimus, & tàm clarè apud omnes constat, vt probatione non indigeat, neq; enim opus est accenso lumine ad videndum Solem.

Quinquagesimo quartò opponitur. *Ex allatis iam Doctus, & Pius Lector amans veritatis intelliget, primò non esse omninò luce clariora testimonia tanta Sanctorum, qui vno corde credunt, vna lingua fatentur, à generali humani generis clade ereptam fuisse B. Virginem, ac Sanctissimorum PP. suffragijs Piam Causam defensam, vt vult Auctor libelli n. 100. quoniam manibus contrectauit illorum dicta partim deprauata, partim fi-*

 cta,

cta, partim de Conceptione Virginis actiua, partim de Incorruptione Virginali, partim esse de actuali; & si per consequentias non bonas, salua pace, ad Conceptionem passiuam Virginis, eiusdemq; immunitatem extorta, excusandum tamen libelli Auctorem, quòd & bona fide descripserit ex negatiuæ opinionis malè impressis Auctoribus.

Respondeo. Ex allatis respōsionibus ad obiecta magis, ac magis roborata esse, atq; firmata, quæ dixi in Discursu nu. 110. & verè per veras consequentias adducta testimonia tanta Sanctorum pro Immaculata. Piam Causam à sanctissimis, & doctissimis tot viris esse defensam. Quid me excusas, post tot vicibus repetitas accusationes? quando spreto Christi Domini præcepto de fraterna correctione, prius adisti Ecclesiam, quam me conuenires? Quo fine tam sæpè repetere, & intercalare, salua pace, salua pace, dū semina tanta iacis discordiarum, rixarum, dissensiorum affirmatiuam. propugnando? si Pontificia decreta de imposito tibi silentio seruasses, tunc enim verò pacis, & Veritatis amator deprehenderis; quales agnosco reliquos doctissimos, ac modestissimos Patres tui Ordinis silentium seruantes. Quid? si me excusas, quod bona fide adductas sententias adduxerim ex malè impressis Auctoribus negatiuæ; quare me impetis, cur potius malè impressos Auctores non reprehendis, non accusas? Cogitasti, opinor, hominem impetere in facultate Theologica abecedarium, in præsenti Controuersia minimè versatum? Ità est sanè, sed qui infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, dedit mihi in præsenti, quid responderem, non quidem nouis obiectionibus tuis, (nihil enim noui affers,) sed antiquis iam, & decantatis, quorum solutio passim apud Auctores negatiuæ perscripta legitur, passim præ manibus teritur eruditorum.

Quinquagesimo quintò opponitur. *Intelligo secundò opinionem Immaculatæ Conceptionis valdè infirmari ex dictis SS. non sincerè relatis ab Auctore libelli. Nec mihi hoc nouum est, quandoquidem in Concilio Basiliensi dicta SS. pro Immacula-*

tá, non referebantur sincerè, vndè Cardinalis de Turrecremata à Sacro Concilio institutus relator SS.PP. pro Verit. Concept. B.M.V. p. 2. c. 8. admirari, inquit, non sufficio, quare ex Aduerso, tàm frequens fit mutatio verborum in dictis Sanctorum &c. 5. planè si (vt ait Hier. in epist. ad Paulinū) Turpe est scripturam repugnantem ad alium sensum trahere, turpius videtur esse, & colligitur ex dictis 6. Synodi contrà Macharium dicta SS. studiosè corrumpere; littera Augustini plena, & vera, talis est; Hæc ille.

Respondeo, Quod cū apertè ostensū fit, dicta SS.PP. sincerè esse relata ab Auctore libelli, vires ingentes sumit negatiua, eiq; magna fit probabilitatis accessio ex solutis obiectionibus Aduersariorum, quorum vsitatum morem esse, PP. deflorare, & detruncare fassus est Catharinus vbi supra, qui cùm anteà pro affirmatiua pugnasset, Palinodiam se canere, ingenuè profitetur Disp. pro Immaculata Conceptione ad Tridentinam Synodum fol. 104. vbi etiam dicit, quod si Turrecremata nunc videret Ecclesiæ cultum erga Immaculatam, Palinodiam, & ipse caneret cùm alijs multis. quare & in Tract. de Immaculata Conceptione seriò clamat contrà assertores affirmatiuæ. Quid fædius, quā Sanctos Patres detruncare, dicta eorum deflorare, & post hæc illa in argumentum assumere?

Quinquagesimo sextò opponitur. *Tertiò intelliget SS. P P. ferè omnes communiter stare pro mundata Conceptione, vndè S. Bonau. 1 3. d 3. art. 1 q. 2. dicit eam esse securiorem, quia magis conuenit fidei pietati, & SS. auctthoritati; quare relati SS. P P. quos vidimus deprauatos, perperam intellectos in libello si sincerè adducantur, emundatam Virginis Conceptionem euidenter fatentur. Hinc factum est in Concilio Basiliensi, quod Dominicanis suam de originali in Virgine, proùt filia Adæ, opinionem propugnantibus, dictis SS. innixis, P P. Concilij post depositum Eugenium IV. sess. 34. cuius partes sequebantur Dominicani, definere contrariam opinionem tanquam Piam, consonam sacræ scripturæ, cultui Ecclesiastico, nulla SS. in eo decre-*

to facta mentione. Nec mirum, quia si qua SS. dicta pro I.C. Beatæ Mariæ Virginis pars aduersa in medium protulit, fuere omninò à Dominicanis soluta, explicata, & plura, vt non sincerè relata, vt videre est in Cardinali de Turrecremata p. 12 c. 4. & seq. è contrà verò in Concilio Viennen. sub Clemente V. opinionem, quæ dicit, tàm paruulis, quàm adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes tanquam probabiliorem, & dictis SS. & modernorum Theologorum magis consonam sacro approbante Concilio Patres duxerunt eligendam; vbi sancti resident, residet Spiritus Sanctus, quia verò Spiritus Sanctus post ortum schisma in Concilio Basiliensi, ac depositum Christi Vicarium recesserat ab eis, nec sanctorum scripta inueniunt, quibus consonam assererent opinionem I. C. tale ergo decretum est schismaticum, & nullius valoris.

Respondeo. Quod Doctus Ormachæa prolog. 3. in Cantica, dicit, & fusè probat, nullum esse antiquum Patrem, qui expressè, & formaliter teneat Affirmatiuam. Patres numero 15. adductos à Caietano in opusculo tanquam fictos, vel fictè adductos, probat Marraccius in Libello fides Caietana. Nullum ex antiquis, qui pro affirmatiua adducuntur, esse, qui nobis, beneficio congruæ explicationis non assistat, eo quod solum negauerint sanctificationem antè animationem, probat Episcopus Plasentinus in suo Propug. fol. 157. n. 202. quod præsertim verificatur de S. Bonauentura loco cit. aliàs sibi contradixisset, quia alijs suæ doctrinæ locis Immaculatam Conceptionem manifestè deprædicat. Dominicanos adhæsisse Eugenio non diffiteor, sed Franciscanos, aliosq; sacrorum ordinum Religiosos eidem adhæsisse, haud dubium est; quare PP. Concilij Basilien. non odio aliquo, aut passione vlla aduersus Dominicanos tanquam partiales Eugenij Decretum illud ediderunt, vt videtur Aduers. supponere. Quod verò in eo Decreto non fiat expressa mentio SS. Patrum, non probat, eorum authoritates in eo Concilio non fuisse ponderatas, cùm enim ab illis Patribus negatiua dicatur Pia, sacræ scripturæ con-

sona, & cultui Ecclesiastico, per consequens asseritur consona dictis SS. PP. qui à Pietate, à Sacra Scriptura, à cultu Ecclesiastico non dissonante, aut discordes vnquam sunt; & sanè illud Decretum, licet fuerit editum tempore schismatis, non tamen in eo edendo vllum fuit schisma, vt probant Gabriel in 3. & Suarez 3.p. imò Antonius Calderon in suo libello contrà libellatores ostendit fore, omnia, quæ in eo decreto sancita sunt, fore deindè à diuersis Summis Pontificibus progressu temporis stabilita, & confirmata; & licet successores Eugenij IV. illud Concilium reprobauerint quo ad decreta de moribus, & reformatione Cleri Romani, non tamen illud reprobauerunt quò ad hoc dogma de Immaculata. Imò quia probabilis sententia est, Patres in Concilio, eo quod Vniuersam Ecclesiam repræsentent, habere Votum decisiuum, maximè si agant iuxtà instructionem datam Legato à latere Summi Pontificis, PP. Concilij Basiliensis, sequentes instructionem de Pia sent. definiendam, quam adfuisse textatur Gabriel vbi supra, arbitrati sunt, articulum fidei condere; hinc est, vt Tridentinum huic decreto reipsa maximè fauens in generali decreto de peccato originali in omnes homines transfuso declarauerit, non esse suæ intentionis comprehendere B. atam, & Immaculatam Dei Genitricem Virginem Mariam. Videat Aduers. quid fusè in hac re dicat Propug. Theol. fol. 326. à nu. 80. vsq; ad nu. 89. & fiet doctior.

Interim audiat de Cõcilio Basiliẽsi Catharini iudiciũ. Nõ est existimãdũ, nisi ab ijs, qui prauè affecti fuerint; eos talis siue Cõcilij, siuè Congregationis viros (fuit enim Conciliũ legitimum ab initio) qui cũ magna discussione, maturoque tractatu rem tanti momenti definiuerunt, eosq; mẽte, ità excæcatos, vt nõ viderint contrà fidei fundamenta se definire; aut si viderint, voluisse nihilominus fidem euertere. Deniq; illud item animaduertendum, & si non fuerit eo tempore authoritas Synodi, erat tamen authoritas virorum Doctorum, ac sapientum. Nec parui est momenti Concilium

illud, (quo ad hanc determinationem attinet) à nonnullis Nationibus esse receptum, quodq; magnoperè est considerandum non reclamante Summo Pontifice, & Sede Apostolica minimè reprobante. At illud fieri omninò etiam expressissima sententia debuisset, si contrà fidei fundamenta determinatio illa, vt isti arrogantissimè iactant, militasset, præsertim verò, quod tunc legitimum habebatur Concilium, & iam notum erat plausibilem esse omni Populo illam determinationem pro honore Sanctissimæ Dei Matris.

Et quidem in asserenda, seù tribuenda Immunitate ab originali B. Virgini Basiliense Concilium in principio legitimum seruauit adamussim stylum, & institutum legitimorum Generalium Conciliorum, quæ semper vigente aliqua Controuersia in Ecclesia Dei duarum opinionum contrarietate, & dissidio ventilata, eam tandem partem definiendam esse censuerunt, quæ tribuebat, non quæ adimebat aliquid dignitatis, & honoris Deo, Christo Domino, Beatissimæ Virgini, Sanctisq; in Cœlo Regnantibus, patet Inductione.

Ademerunt aliqui filio Dei Diuinitatem; hanc esse tribuendam, & asserendam definiuit Concilium Nicænum primum. Ademerunt alij Spiritui Sancto Diuinitatem; hāc esse eidem Spiritui Sancto tribuendam definiuit Concilium Constantinopolitanum primum. Ademit Nestorius B. Virgini Dei Maternitatem, hanc esse tribuendam, definiuit Concilium Ephesinum. Ademit Eutyches vnam ex duabus, quæ sunt in Christo Domino, Naturam; hanc esse ponendam, & adstruendam definiuit Concilium Chalcedonense. Vnam esse in Christo Domino tantummodo Voluntatem vulgarunt Monothelitæ, at duas esse ponendas, & adstruēdas sexta Synodus definiuit. Sacris Imaginibus Christi Domini, & Sanctorum, cultum, & adorationem ademerunt Iconoclastæ, sed hæc esse deferenda, & tribuenda, definiuit Concilium Nicænum secundum.

Ade-

Ademerunt Nonnulli Corpori Christi Domini festum; At hoc esse celebrandum Viennense Concilium definiuit.

Ademerunt alij priuilegium Incinerationis B. Virgini, At hoc esse tribuendum Ecclesia Dei pro comperto habet.

Ademerunt aliqui quamuis sapientia iuxtà, ac sanctitate insignes viri Immunitatem à venialibus toto vitæ suæ tempore *B.* Virgini; At hanc esse tribuendam speciali Dei Priuilegio Concilium Tridentinum definiuit.

Adimentibus ergo nõnullis immunitatem ab originali B. Virgini tempore Concilij Basiliensis in principio legitimi; eam esse tribuendam,& asserendam in contradictorio iudicio idem Basiliense Concilium definiuit, tanquam Piam, consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ, atq; ità stylo, & instituto Generalium, & legitimorum Conciliorum sese adamussim conformauit.

Quinquagesimo septimò opponitur. *Quinam fuerint moderni Theologi, quibus adhæsit Viennense Concilium, intelliges quartò; sunt (vt inquit Ioan. Andræas in Gloss.)* Magister *sententiarum, qui Concilium præcessit* 187. *annis. Alexander de Ales, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonauentura, qui ferè* 80. *vel septuaginta annis præcesserunt. Vt quid amplius hic immoramur, ait Turrecremata p* 7. *c.* 5. *nunquid hodierna die (idem ego ipse repeto) in Ecclesia, & in schola Theologiæ antiqui Doctores, vt Magister sententiarum, Alexander de Ales, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonau. pro eorum summa sapientia, & securitate doctrinæ præ cæteris modernis amplius, & venerationi, & auctoritati habentur? Vtiq; sic. Hæc ille. Quare si teste Zozimo Papa contr.* 25. *q* 1. *apud nos enim inconcussis radicibus viuit antiquitas, dum relati sapientissimi, sanctissimiq; Theologi, quos longè ante præmortuos, Concilium modernos appellat, adhùc viuant in suis discipulis; proinde semper moderni sunt, consulamus in materia de Concept. B. Mariæ V. cum ijs scientiores, sanctiores modernos Theologos fortè non habeat Auctor libelli n.* 114. *videbimusq; an Conceptio B. V. fuerit Immaculata, an Emaculata.*

Re-

Respondeo: Modernos Theologos; quibus adhæsit Vien. Conciliũ, fuisse iam adductos & præmortuos ad Cõcilium, non dubito; an verò Concilium illis solummodo adhæserit, an etiam alijs tunc viuentibus, & habentibus fortasse votum decisiuum Summi Pontificis concessu, quo fundamento poterit Aduersarius inficiari, quando S. Augustinus lib. 1. contrà Iulianum circà medium, non solum præmortuos SS.PP. sed etiam manentes, & suæ ætati congronos adducit, & vrget? neq; enim Viennense Concilium poterat adhærere PP. & Theologis post ipsam futuris, Baronio, Bellarmino, Toleto, Sirleto, Cusano, S. Thomæ Villanouano. B. Laurentio Iustiniano, B. Vincentio Beltrano, alijsq; magni nominis Theologis, & PP. qui post Viennense floruerunt, in quibus sanè tanquam in discipulis viuunt, non solũ hi, quos Aduers. citat, sed Apostoli ipsi, vt ex D. Augustino in ps. 44. facilè probat Auctor Discu sus; nã loco Pauli, loco Petri, & aliorum Apostolorum Episcopi per diuersas Ecclesias dispersi succeflere, qui omnes semel, & iterum in Regnis Hyspaniarum præsertim vota sua pro Immaculata subscripserunt, Romam ad Summum Pontificem per Regios Oratores Inuictissimi Regis Philippi IV. non minus Imperio, quam Pietate erga Immaculatam B. Virginis Conceptionem verè Magni, Antonium de Trejo, & Ludouicum Crespinum à Borgia Episcopum Plasentinum miserunt. Verum dato, & non concesso, quod moderniorum Theologorum nomine Viennen. Concilium solum D. Thomam, Bonau. Magistrum sent. B. Albertum, Alex. Alen. intelligat; Quid indè? Nonnè & horum auctoritate Pia Causa defensa est? Vidimus iam horum etiam testimonio, horum etiam vnanimi contextatione negatiuam muniri, firmari, reddi omninò inconcussam, nullaq; posse argumẽtorum vi diuelli, aut labefactari.

Demum vt respondeant vltima primis, & qui cum Catharino cæpi, cum eodem Apologiam meam ipse concludam. Audi solidam, quam habet, exhortationem ad Fra-

tres sui ordinis Catharinus Archiepiscopus Compsanus Iulij III. Pontificis Maximi Præceptor, & cui ob eminentiam Theologiæ nisi vita defecisset, Purpura non defuisset, in disp. pro Immacul. p. 2. fol. 112.

Quapropter reliquum tandem est, Patres obseruantissimi, & Fratres Dilectissimi intimi cordi meo, vt iustam quærimoniam christiana, ac pia mente suscipiatis, nec aspernatis Consilium Pacis, quod à vera Charitate proficiscitur, satis iam superq; satis vtrinq; certatum est, & iam plus nimio datum contentionibus. Quod si Victoria quæritur, quæ gloriosior potest expeti Victoria, quam segregare se à contentionibus, & salua fide consentire Matri vestræ Ecclesiæ? Considerate celebritatem hanc, (quæ suo iure tandem aliquando à vobis obedienter suscipi deprecatur) non nisi cum maiore in dies multorum scandalo, & opprobrio vestro respui à Vobis vlterius posse. Sancta enim Tridentina Synodus, nemine Patrum discrepante, Xistinas illas constitutiones de hac celebritate coram oculis vestris confirmauit, & obseruari mandauit. At in prima illa constitutione intonat Apostolica vox inuitās omnes Christi fideles, vt de B. Virginis mira, & Immaculata Conceptione dignas Deo gratias & laudes referant, celebrando Missas, & officia signanter ad hoc ipsum ab ea composita & instituta. Cur igitur vos, qui inter Christi fideles non sine laude connumeramini, & fauorabiliter, atq; immediatè sub Romana Ecclesia concludimini tantam celsitudinem non intuemini, & summi vestri Pastoris, à quo tot gratijs, & immunitatibus, & priuilegijs honorati estis, vocem benignam non agnoscitis, sed renuitis soli vos vnius Prædicatorum Ordinis adhùc in hac parte diuisi? An vobis ipsis testimonium hoc vestro facto perhibere vultis (quod horreo, vel cogitare) vos iam inter Christi fideles nequaquam numerari? aut potius vos paucissimi spernitis totam reliquam Ecclesiam Dei? Non ego quidem ista dico, sed vos. Vos, inquam, ipsi hoc facto vestro id indicare, & id loqui

vide-

videmini, licet reuera non ita sit. Definite igitur trepidare timore, vbi iam sublatus est omnis timor, & considerate ad Catholicam, & vobis oportunius seruientem sanctissimi illius Abbatis Bernardi sententiam: ego, inquit ille, quod ab illa accepi, securus teneo, & trado. Accipite, & vos, vt securi teneatis, & tradatis; alioquin quis non iudicabit vos illius authoritate contrà eiusdem authoritatem abuti?

Verum vt vos in angustum concludã, interrogo vos. Putatis nè in hac celebratione, quã Romana tradidit Ecclesia, & Tridentinum Concilium confirmauit, vllum esse peccatũ, aut peccati periculũ an nõ? Si primum asseritis, eiusdẽ assertió iam dudum ad perfringendam eorum temeritatem, qui ità blasphemabant, securè damnata est ab illa Sede in secunda Decretali. Graue nimis, vt falsa, & erronea, ac penitus à veritate aliena, & quicunq; illam asserit sententia prosternitur anathematis. Sin autem hoc asserere non potestis, nec audetis, quid ergo causæ assignari à vobis potest, cur in tam piam, & securam sententiam cùm reliquo Christiano orbe non concurritis? Profectò non alia fingi causa potest, nisi quod saltem vestra repugnantia contestamini inesse peccatum, sic celebrare, ac propterea turpissimè, & grauissimè peccare Ecclesiam Dei, quæ cum sit Mater omnium, & Magistra, non solum peccatum celebrando facit, verum etiam talem celebritatem proponens alijs peccati materiam præbet. Itaq; constituitis vosmetipsos censores, & Iudices tãtæ Sedis, & omnium Ecclesiarum, & Ordinum, & Vniuersitatum, quæ à vobis (vt nostis) apertè toto corde dissentiunt; nec Ecclesiæ definitionem, quæ hunc vestrũ sensum damnauit, tenetis; cuius sententiã, quam & Tridentina Synodus, comprobauit, contemnitis.

Hæc autem à quonam spiritu originem trahant, cogitãdum vobis ipsis relinquo, nè cogar duriora prosequi. Ego enim in omni hac mea quærimonia, protestor antè Deum, & vos Pattres, ordinem vestrum, imò & nostrum à me, & amari, & obseruari in Christo, & in Matre peculiari illius

Pro-

Protectrice, & ità amari, vt nemini pro meo gradu cedam, ob eam causam nollem vlla prorsus macula eius gloriam obscurari, nàm cùm in cæteris gloriosè incedat, hoc vnum retinet, quo plurimi scandalum meritò patiuntur, quoniã multi vestium illam Virginem macula aspergunt, quam omnis Ecclesia sponsi vocem audiens concinit penitus Immaculatam..

Et paucis lineis interiectis ità prosequitur,

Putatis nè Sacrosanctam Romanam Ecclesiam ea leuitate ferri, vt si aliquando, vel opinionem vestram amplexatura, vel saltem cultum illum reprobatura, quem semel Pontificio decreto, & solemni omnium Ecclesiarum ritu cum munificentissima Indulgentiarum largitione iamdudùm celebrare perseuerat? An vllum, quæso potestis similis mutationis exemplum proferre, quo in spem bonam erecti expectare possitis ex vestra opposita opinione Victoriam? Si hoc vobis persuasistis, quis non videt, in quanto errore versemini, quamq; parum piè de Prouidentia Dei ergà Ecclesiam, & eius gubernationem sentitis. Quod si victoriæ Spem vobis erectam clarè cernitis, cur non anteuertitis feueriorem aliquam sententiam, quæ non patietur vlterius serpere in dimidiato vno ordine opinionem Diuino cultui repugnantem? Quid enim vobis præter imminens periculum publicæ ignominiæ restat? *Hæc ille.*

Nemo miretur, si longior, fusiorq; quam par est, fuerim in adducendo Chatarino, quia eius opuscula, immane, quam solerti diligentia à parte aduersa supprimantur, & ex alia parte ferè nullus etiam ex Ordine Minorum est, qui apertius exemerit gladium pro Immaculata..

Hæc, Pie Lector, respondere me opere pretium duxi, tum vt iniuriam propulsarem, quando Iuris naturalis defensio est, tum nè Aduersarius silentium meum interpretaretur triumphum suum; tum denique vt firmius, robustisq; reiectis calumnijs, & oppositionibus in contrarium solidè protritis, Auctoritas, SS. PP. inuicta consisteret pro Immaculata..

FINIS..



